QUAESTIONES CRITICAE
VELLEIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XII. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXVIII

PUBLICE DEFENDET

FRANCISCUS GIESE
MONASTERIENSIS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK.
MDCCCLXVIII.

CARISSIMO AMICO

PHILOSOPHIAE DOCTORI

EDUARDO KREUZHAGE

GOTTINGENSI

SACRUM.

PRÆFATIO.

Codicem Murbacensem, qui solus opus a Vellejo Paterculo conscriptum, idque ne integrum quidem nobis tradidit, scripturae mendis quam maxime refertum fuisse inter omnes constat. Quamquam haud exiguus eorum numerus a viris doctissimis sagacissimisque tempore est sublatus, tamen Velleji scripta etiam nunc ei, cui arti criticae operam dare constitutum est, copiam ingenii exercendi quam maximam faciunt. Quominus enim omnino vera scriptoris manus restitueretur, non minus quam corruptelarum multitudine atque immanitate, eo prohibitum est, quod unus tantummodo Velleji codex exstabat, ita ut non, quod in omnibus fere scriptoribus fit, in lectione aliqua dijudicanda et perpendenda cogitando de codicum, eam continentium, numero atque aetate, eosque comparando cum reliquis, ad rectum cognoscendum adjuvemur. Quum autem ratio, qua utendum est in locis Vellejanis critice examinandis, longe alia sit, quam qua agi solet quod ad reliquos omnes attinet scriptores, praetereaque Velleji scripta campum praestent, in quo latissime excurrere possit virtus critica: factum est, ut et magnus numerus conjecturarum nullo modo probabilium fieret, et multi loci conjecturis tentarentur et mutarentur, quos veram scriptoris manum complecti in oculos incurrit. In hac igitur dissertatione conscribenda mihi propositum fuit contendere atque eniti, et ut novis conjecturis faciendis veram assequerer scriptoris manum restituendam, et ut nonnullos locos, qui, quamquam haud corrupti traditi esse videntur, tamen conjecturis

sunt tentati, ab iis defenderem et rectam codicis esse scripturam demonstrarem. Ad quae accedebat, ut complures emendationes, ab aliis factas, quae neque ab editoribus in textum receptae neque ab iis, quibus debentur, rationibus afferendis fultae reperiuntur, explanandas et probabiles reddendas mihi esse putarem.

In locis laudandis alteram Kritzii editionem sum secutus. [1])

---

[1]) De codice Murb. a Beato Rhenano reperto, editione principe, quam idem vir doctissimus typis curavit exprimendam, apographo ab Amerbachio facto mihi nihil dicendum esse visum est, quippe, quae ad ea spectant, saepius accuratissime exposita inveniantur, praecipue a Kritzio in Prolegg. ipsius editioni praefixis.

I, 1, 2:

„At rex regum Agamemnon, tempestate in Cretam insulam rejectus, tris ibi urbis statuit.“

Burmannus lectionem vulgatam **re**jectus, quam Kritzius in textu expressit, mutandam censuit in **e**jectus; quasi hoc verbum rei esset accommodatius, collata annotatione sua ad Petron. c. CXV, p. 537. et ad Ovid. Heroid. VII, 89. Ruhnkenius, auctore Drakenborchio ad Liv. XXIII, 34, 16., dejectus scribi vult;[1]) dejici enim elegans et legitimum verbum esse de navigantibus, qui ab instituto cursu depellantur, coll. Tac. Ann. II, 60, 1, ubi legitur: „Qua tempestate Menelaus, Graeciam repetens, diversum ad mare, terramque Libyam dejectus.“ Kritzius ejectus ferri non posse contendit, ejici tantummodo de naufragis usurpari dicens, ut recte observaverint Gronovius et Drakenborchius ad Liv. XLIV, 19. Hoc quidem non verum est, quum ejicère compluribus locis eodem sensu positum inveniatur, quo appellere, ut Caes. B. C. III, 25. extr., ubi legitur: „Quibus rebus permotus Caesar Brundusium ad suos severius scripsit, nacti idoneum ventum ne occasionem navigandi dimitterent, sive ad litora Apolloniatium cursum dirigere, atque eo naves ejicere possent.“[2]) Sed tamen ejectus hoc quidem loco ferri posse non puto, quippe quo de casu aliquo dicatur, deinde autem, quum ejicere ita ut appellere scriptum non reperiatur, nisi cum navis voce conjunctum, qua

---

[1]) Quod probat Censor in Bibl. Germ. univ. Vol. XLVIII. p. 530.

[2]) Cf. Caes. B. C. III, 28. extr.; Liv. XLIV, 28.

ex re concludendum esse videtur, verba navem ejicere in formulam aliquam abisse, quae in nauticis tantummodo rebus usurpari solita sit.

Sed neque rejectus probari potest, ut ex ipsius Kritzii hujus vocabuli interpretatione, quam rectissimam quidem affert, intellegitur. Dicit enim ad vulgatam lectionem defendendam, rejici non solum usurpari de navigantibus, eodem, unde profecti sint, repulsis, sed etiam de iis, qui, quo tendant, quum prope accesserint, tempestatum vi rursus avertantur et in alienum locum deferantur. At hoc quidem loco Agamemnon non prope ad patriam accessisse, indeque repulsus esse narratur, sed id tantummodo scriptor docet, tempestatem eum ab instituto cursu avertisse. Itaque rejectus retineri non potest, quod etiam clarius fit locis a Grunero allatis, quos quidem sententiam suam confirmare existimat Kritzius, sc. Cic. p. Caecin. c. 30, 88: „Siqui ex alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito rejectus, optaret, ut, cum esset a patria depulsus, eo restitueretur“ etc., et id. Tusc. I, 49, 119: „Portum paratum nobis putemus. Quo utinam velis passis pervehi liceat! Sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est.“ Ex quibus locis, ubi id, quod hoc nostro minime fit, de patria navibus paene attacta expressis dicitur verbis, Kritzio nullo modo licuit concludere, ut fecit: „Agamemnon igitur cum patriam petens averteretur in Cretam insulam, recte a Vellejo dicitur rejectus esse.“ Nam aliud est patriam petere, aliud ad patriam accedere.

Quare lectionem vulgatam in dejectus mutari necesse est, quod verbum non solum, ut supra docuimus, optime hoc loco quadrat, sed etiam, quod certe nemo dubitabit, facillima mutatione e codicis scriptura fingitur.

I, 2, 1:

„Deposita veste regia pastoralem cultum induit (i. e. Codrus) immixtusque castris hostium de industria, imprudenter, rixam injiciens, interemptus est."

Ed. pr. lectionem praestabat impr. **rixanincies** int. est; Burerius in vet. exempl. invenit impr. **rixam. neies** int. est. Rhenanus conjecturam proposuit rixam injiciens, quam Kritzius in textum recepit; eam plane confirmari dicit Burerii lectione e codice eruta, quippe **n** nihil aliud sit, quam duplex **i**, quorum prius cum lineola significet **in**, alterum suffecerit librariis pro geminato, ex more scribentibus adicere, reicere, inicere, quamquam ipse Burerius conjecerit rixam **ciens.** „Hoc", pergit Kritzius exponere, „licet probatum a Ruhnkenio, Orellio, Laurentio p. 79., nollem ipse nuper probassem in Zimmermannii Annall. studd. antiquitt. a. 1837. No. 9. p. 84. sq., per Laurentium maxime seductus, ne, quanta vis in externa auctoritate injiciens verbi esset, viderem." [1])

Mihi quidem Kritzius externam quam vocat scripturae auctoritatem nimis urgere videtur, praesertim quum suo dubitari possit jure, quomodo, quantum ad hanc auctoritatem attinet, scriptura editionis principis supplenda sit, utrum in ciens, an in injiciens. Ut enim complures loci Vellejani nullo alio modo sanari possunt, nisi singulis litteris loco movendis alioque trajiciendis, [2]) ita facillime fieri potuit, ut litera **n**, inter **e** et **s** ponenda, scriberetur ante **c** literam. Internam autem auctoritatem, i. e. sententiam vocis inji-

---

[1]) Cf. Kraus. in Addend. p. XXX. et Haasium in Ephemm. Litt. Hall. a. 1836. No. 55. p 435. et a. 1837. No. 103. p. 213.

[2]) Sic I, 14, 6 insuessam scriptum reperitur in codice pro Sinuessam; II, 40, 4 Labenius pro Labienus. Cf. etiam II, 52, 3; II, 106, 3; II, 114, 1.

cere, quam Kritzius nullo modo attigit, si respicio, hoc loco ferri posse non puto. Nam significatio hujus verbi talis est, ut omnino non usurpari soleat, nisi ubi agitur de animi aliquo motu. Ita voci ciere quodammodo oppositum est, quippe quae de talibus rebus dicatur, quales sensibus sunt subjectae. Itaque injicere conjunctum invenitur cum vocibus metus, timoris, curae, scrupuli, religionis, studii, spei, aliisque hujusmodi, quum ciere et aliis vocibus adjunctum reperiatur, et praecipue vocabulis belli, pugnae, proelii, stragis, Martis, ceterisque, quae certamen significant, quod manibus conserendis fit. Quorum in numero etiam rixae verbum ponendum est, ut e multis locis elucet, ut e Cic. Att. 4, 66: „Nova turba atque rixa“ etc.; Liv. II, 18: „Concursu hominum rixa ac prope proelium fuit“, ex quo loco clarissime apparet, inter rixam et proelium nihil aliud interesse, nisi quod hujus major, quam illius, numerus hominum est particeps. Itaque exemplum illud, quod, quantum ad injicere attinet, Krausium bene contulisse ad dicendi usum affirmat Kritzius, sc. Liv. III, 64, 6: „Injecta contentione Duilius in concionem processit“, in injiciens lectionem probabilem reddendam non quadrat, quia Livius de sententiarum contentione aliqua loquitur, quum hoc loco rixa occurrat.

Deinde id quoque magnopere respiciendum est, quod omnibus, ubi injicere verbum usurpatum legitur locis, (id quod ipsa vocis natura fert) dativus aliquis aut ei conjunctus reperitur, aut facile suppleri potest. Quod hoc loco nullo modo fit, quippe quo ipsum rixae auctorem ejus participem fuisse dicat scriptor. Quibus de causis mihi quidem persuasum est, legendum esse ciens.

Etiam, quod ad id attinet, quo referenda sint verba de industria, equidem cum Kritzio facere non possum, qui ea conjungi vult cum immixtus, dicens, ita eleganter, i. e. ad sententiae vim accuratius oppositione quaesita declarandam, in confinio imprudenter adverbii collocata esse, tali

fere sensu: *quamquam* non fortuito in castra delatus, sed *immixtus* de industria, ita, ut facile suspectus fieri posset, *tamen*, non agnitus, *imprudenter* — *interemptus est*. Sed sine dubio scriptor vult dicere Codrum in morte ab hostibus sibi quaerenda summa egisse prudentia, quod nullo modo fecisset, si rectam hujus loci explicationem afferret Kritzius. Qua de causa rectissime *imprudenter* ante *interemptus* transposuit Acidalius: nam tum demum sensus probabilis exstat, si *de industria* verba conjunguntur cum *injiciens* (*ciens*) participio, ita ut Codrus rixae illius, qua factum est ut ab hostibus necaretur, non fortuito, sed *de industria* auctor factus esse dicatur.

I, 2, 2:

„Hujus (i. e. Codri) filius Medon primus archon Athenis fuit. Ab hoc posteri *apud Atticos* dicti Medontidae; *sed hic* insequentesque archontes usque ad Charopem dum viverent eum honorem usurpabant."

Mommsenio voces *sed hic insequentesque archontes* delendae visae sunt ut e glossemate exortae; nam verba *apud Atticos* non conjungi posse nisi cum *usurpabant*. Quod mihi quidem non videtur; contra *apud Atticos* verba bene conjungi puto cum *dicti Medontidae*, quippe necesse sit posteris Codri nomen inditum esse ab iis, quibus imperabant et inter quos versabantur, scilicet ab Atticis. His igitur scriptor narrat non placuisse nomen ut genti illi peterent a Codro: sed Medontidarum eam dixisse Atticos.

Deinde, quantum ad *sed* particulam attinet, Alsters. Quaestt. Vell. p. 7. extr. non intellegi posse contendit, quis ei sit locus; nihil enim inveniri, cui opposita sit, neque cogitari posse de *sed*, quo ad inchoatam narrationem redeatur. Hoc alterum quidem verum est; quod autem ad priorem Alstersii attinet sententiam, verbis quidem expressum non invenitur, cui *sed* particula opposita sit, sed facillime sup-

pleri potest, ita ut mihi mutatione illa vocis sed in sunt, quam Alstersius facit, nullo modo opus esse videatur, praesertim quum Vellejum iis scriptoribus adnumerandum esse inter omnes constet, qui sumere solent, res, de quibus loquuntur, esse notas. Opponit autem scriptor mente et cogitatione priores illos archontes insequentibus, qui non usque ad vitae finem eo munere fungebantur, sed in denos, postea in singulum annum creabantur. Ita autem loqui Vellejo eo magis licuit, quod archontes posteriores, inter quos erant Draco et Solon illi celeberrimi, multo majus habent momentum, quam antecedentes, eaque de causa sine dubio Romani longe magis de iis erant instituti.

Similis huic locus invenitur Sall. Jug. 75, 4: „Eo inponit vasa cujusque modi, sed pleraque lignea, conlecta ex tuguriis Numidarum", ubi, ut habeamus, cui sed oppositum sit, hoc fere suppleatur necesse est: Non, id quod quis cogitet, cujusque generis vasorum idem erat numerus. Ita hoc loco Vellejano cogitatione addendum videtur: Hic insequentesque archontes non, ut archontes posterioris temporis, in tempus creati sunt.

I, 9, 4:

„Is (i. e. L. Aemilius Paullus) Persam ingenti proelio apud urbem nomine Pydnam in Macedonia fusum fugatumque castris exuit, deletisque ejus copiis destitutum omni spe coegit e Macedonia profugere; quam ille linquens in insulam Samothraciam perfugit templique se religioni supplicem credidit."

Mutatio codicis scripturae **pro**fugit in **per**fugit, quam Jahnio auctore Kritzius in textum recepit, nulla est, quantum ad sensum attinet. Non minus enim, quam perfugere, verbum profugere apud Latinos de iis dicitur, qui ad locum aliquem, ut ibi tuti sint, confugiunt, quod quidem Kritzius negat. Cf. Sall. Jug. 74, 1: „Ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant." Caes.

B. G. II, 14: „Qui hujus consilii principes fuissent, quod intelligerent, quantam calamitatem civitati intulissent, in Britanniam profugisse“, ubi illos a Britannis tutos redditos esse apparet ex Caes. B. G. IV, 20: „Exigua parte aestatis reliqua, Caesar, etsi in his locis, quod omnis Gallia ad septemtriones vergit, maturae sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quod omnibus fere Gallicis bellis hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat.“ Neque hoc solo loco, sed sexcenties, praecipue apud Caesarem, profugere ita usurpatum invenitur.

Tamen lectio codicis non retineri posse videtur. Kritzius, qui, ut demonstret, parum valere Jahnii mutationis profugit in perfugit rationem petitam a vicinitate ejusdem vocis, conferri jubet Prolegg. c. II. p. LXVII, ubi ejusmodi exemplorum magnum numerum congessit, non id respexit, hujus loci naturam longe aliam esse, atque eorum, qui l. l. congesti reperiuntur. Verbis enim quam ille linquens etc. scriptor haud quidquam novi, ut ita dicam, profert, sed explicat, quomodo et quo Perseus profugerit. In qua enuntiatione idem vel paris significationis verbum ferri posse equidem non existimo, sed cum Burmanno facio, qui rectam quidem viam ingressus videtur conjiciendo in insulam Samothraciam **trajecit**, quamquam ipsum trajecit verbum haud feliciter positum est, quia scriptura nimis distat a profugit. Equidem propono se contulit; quamquam enim hoc quoque verbum haud facili mutatione e scriptura codicis fingitur, non invenietur, quod leniore conjectura nascatur idemque haud minus quadret.

I, 18, 1:

„Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam universa Graecia, operibusque floruit, adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.“

Ed. pr. et Amerb. pluribus annis eloquenti**ae** lectionem praestabant, quam defendunt Gronovius [1]) et Schoepferus [2]). Primus Aldus Nepos eloquentia scripsit pro eloquentiae, quod Kritzius probat, dicens ita simplicissima mutatione hunc locum sanatum esse. Simplicissimam quidem hanc esse mutationem certe nemo infitiabitur; sed locum ita sanatum esse non puto. Magnopere enim offendor voce annis, quae nullo modo respondet iis, quae Vellejus initio hujus capitis dicit, sc.: „Transit admiratio ab condicione temporum et ad urbium.“ Alsters. Quaestt. Vell. p. 18. scribendum censet: „Una urbs Attica pluribus **omnis artis** eloquentiae**que**, quam universa Graecia, operibus floruit,“ quia ea hoc loco dicta fuisse videantur, Athenas plus paene omnibus litteris artibusque quam reliquam Graeciam floruisse. Quod mihi quidem non videtur, respicienti verba insequentia, ubi aliarum urbium cum Athenis fit comparatio, in qua illae nullum memoria dignum oratorem genuisse dicuntur, ex quo concludendum videtur, etiam, quod ad Athenas attineat, scriptorem de sola eloquentia disserere. Deinde, quamquam Vellejus nimius esse modumque excedere solet, tamen hoc quidem, quod vult Alstersius, eum dicere non puto, quippe quod veritati nullo modo respondeat. Nam non solum in arte lyrica aliae urbes majores vates tulerunt, sed etiam in epica poësi, neque sculptura et architectura Athenae ceteras omnes Graeciae civitates superaverunt. Oratores, philosophos, poëtas tragicos et comicos plerosque sibi jure vindicant Athenienses, ceterorum paucos omnino. Non Hesiodum, non Archilochum, Callimachum, Antimachum, Apollonium, Alcaeum, Sappho, Simonidem, Pindarum, non mille alios, atque de Homeri natalibus Attici cum sex urbibus frustra in certamen venerunt. Contra, quantum ad

---

[1]) Obss. II, 23, p. 311 sq.

[2]) In Adnott. critt. p. 13.

eloquentiam attinet, Athenae jure dicuntur omnes tulisse, qui Graecorum in hac arte eminuerunt. Cf. Cic. Brut. 13.: „Hoc autem studium (i. e. eloquentiae) non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum.“ Justin. II, 6: „Literae certe ac facundia et hic civilis ordo disciplinae veluti templum Athenas habent.“

Ex his igitur mihi quidem persuasum est, Vellejum hoc loco non disserere, nisi de eloquentia, quare legendum censeo: „Una urbs Attica pluribus artis eloquentiae[1]), quam universa Graecia, operibus floruit.“ Facile artis confundi potuit cum annis; annis autem ineptum esse supra docuimus. Que autem, quod in codice voci operibus adjunctum reperitur, aut librarii inscientia in textum irrepsit, aut somnolentia.

Sed forsitan quispiam dixerit, ita scribere nos vetare illud Velleji enuntiatum: „adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.“ Ad quod respondendum videtur, artem oratoriam et re vera primum omnium locum obtinere, et a veteribus, praecipue autem a Romanis, ceteris omnibus artibus longe esse praelatam.

I, 18, 2 et 3:

„Neque ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argivum, Thebanum, Lacedaemonium oratorem aut dum vixit auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum. Quae urbes cunctae liberalium studiorum fuere steriles, nisi Thebas unum os Pindari illuminaret. Nam Alcmana Lacones falso sibi vindicant.“

Ed. pr. lectionem praestabat existimatum, quae urbes talium studiorum, Burerius et Amerbachius existimatumque urbes et initalia talium.

---

[1]) Artis eloquentiae pro eloquentiae haud solite quidem dictum videtur; sed non intellegitur, quo alio modo hic locus possit sanari.

Codicis scripturae existimatumque urbes et initalia talium prius mendum quomodo corrigendum sit, in oculos incurrit, atque jam Rhenanus veram Velleji manum restituit mutando existimatumque in existimatum, **quae**. Qua vero ratione verba et initalia, quae Rhenanus, tamquam ex geminatione orta, tacite omisit, et quae aperte sunt vitiosa, mutanda sint, haud ita facile intellegitur, ut id demonstrat, quod permultae conjecturae sunt factae a VV. DD., aliique aliunde medicina huic loco petenda visa est. In promptu quidem est corrigere ut in Italia, sed, ut Kritzius recte dicit, sic loci integritati nullo modo consulitur, quum urbium Graecarum in Italia sitarum tam abrupta mentio et per se sit inepta, et sententiarum nexui minime conveniat. Scripturae, quam Kritzius in textu expressit, auctor Herelius[1]) longius progressus quam ceteri etiam talium mutandum censuit, quod Kritzius probat dicens talium perversum esse, quum in antecedentibus minime varia studiorum genera memorata fuerint, qua in re ei assentiamus necesse est. Sed quod ad ipsam scripturam, quam praestat editio Kritziana, attinet, equidem aliter sentio. Praecipue autem cunctae voce offendor, quae haud difficili quidem scripturae mutatione nata, quippe vocabulo liberalium reperto, qui supersunt apices etinita accuratissime referant elementa cunctae vocis, sensum nullo modo probabilem efficit. Quod enim Kritzius dicit, cunctae bene quadrare, quum Vellejus paullo ante universam Graeciam Athenis ingeniorum flore cessisse dicat, hoc vereor ne ineptum sit, quia tantum abest, ut hae urbes cunctam Graeciam efficiant, ut ne magnam partem quidem ejus complectantur. Quid autem Vellejus dicere velit, intellegitur mea quidem sententia ex verbis insequentibus nisi Thebas unum os Pindari illuminaret. Ex quibus concludendum videtur, Argos, Thebas, Lacedaemonem non solum oratorum, sed

[1]) Krit. Beobachtungen über die Röm. Geschichte des Vellejus p. 561.

etiam omnium aliorum studiorum fuisse steriles dici. Idem senserunt Orellius et Baiterus, quorum hic scripsit etiam aliorum liberalium, ille et in totum liberalium. Quae quidem vera Velleji sit manus, semper in dubio erit: tamen rectius scribi videtur et omnium aliorum liberalium, quia sic ars oratoria, de qua Vellejus antea locutus est, artibus, quarum hoc loco facit mentionem, excipitur, deinde autem, apposita voce omnium, (id quod non fit in Baiteri scriptura) sententia majore vi effertur.[1])

II, 2, 3:

„...Tiberius Gracchus... pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus factum concupiscentibus, summa imis miscuit et in praeruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam..."

Ed. pr. lectionem praestabat omnibus **statum** concupiscentibus. Amerb. pro statum exhibet factum, aut conjectura usus, aut deceptus similitudine literarum **f** et **st**, quam scripturam Kritzius in textum recepit, sensum Amerbachianae lectionis hunc esse dicens: „Gracchus, pollicitus toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis

---

[1]) Burerius et Acidalius pari ratione usi scripserunt hic ut multae aliae talium, ille et multae aliae talium, eandemque viam in hoc loco tractando ingressi sunt Vossius et Jahnius. Quam scripturam incredibiliter languere neque ullo modo in sententiarum nexum quadrare certe nemo infitiabitur. Ceterum Sauppius apud Orellium conjecit et in alia talium, Ed. Bip. et civitates tal., Cludius reliquae urbes et civitates talium omnino, Bothius et ibi talium, Kreyssigius et inter alias talium. Warburton et enitentes alias talium, Schoepferus quae urbes et initialia studiorum. Ruhnkenius scripturam Ed. pr. sequitur. Haasius praef. p. IV. voces et in Italia in fine posuit, ut prima verba alterius partis comparationis Athenarum et Romae intellegenda sint: quod probat Alsters. Quaestt. Vell. p. 21.

legibus, quum **omnes** (sc. quibus id promiserat, i. e. plebs et socii) **factum** concupiscerent, i. e. valde **cuperent**, ut id, **quod pollicitus erat**, fieret, in tanto omnium studio tantaque animorum commotione, summa imis miscuit." Sed, si Vellejus sic dicere voluisset, primum addendum erat, quid factum vellent, deinde autem non est dubium, quin concupiscentibus participium referendum sit ad agrariis legibus: nam tum demum, si additur, quales fuerint leges agrariae illae, causa affertur, quare Tib. Gracchus summa imis miscuerit. Ceterum Kritzius eum, cui scriptura sibi probata displiceat, jubet omnibus conjecturis omissis lectionem editionis principis tueri, cujus sensum hunc esse vult: „quum omnes (i. e. in hoc nexu, plebs et Itali) cuperent statum se habere, i. e. bona certa atque agros possidere et sic in republica aliquid valere." Reperitur quidem status verbum eodem sensu scriptum, ac firmus status vel certa vitae condicio (quam vocis vim sine adjectivo constare haud jure negavit Halmius Emendd. Vell. p. 4.)[1]) Cf. Tac. Ann. III, 28, 3: „Multorum excisi status," et v. Ruhnken. ad Vell. II, 72, 5. et Walch. ad Tac. Agric. c. VII. p. 164. Sed ita Vellejus hoc loco non satis accommodate ad rem locutus esset, neque intellegeretur, quid sibi vellet status. Nam Tib. Gracchus legem tulit, ne quis plus quingentis jugeribus agri possideret, quare necesse est scriptor dixerit eum modum statuere voluisse, sc. in agro possidendo. Ea autem scriptura, quam equidem veram Velleji manum existimo, haud difficulter e codicis scriptura eruitur, sc. verba modum statui. Statum et statui facillime confundi potuisse, in oculos in-

---

[1]) Etiam Alsters. Quaestt. Vell. p. 61. extr. vocem status hanc significationem habere negat, Tac. Ann. III, 28. 3. statum id valere dicens, quod nostrum Stellung. Equidem, quid inter firmus status et nostrum Stellung intersit, nescio.

currit. Neque prioris vocis mutatio talis est, ut ea offendi possis, si librarios compendio scribere solitos esse cogitaveris.[1])

Quod Lipsius scribendum conjecit, **omnium** statum **concutientibus** (quod Alsters. l. l. ad sententiam quidem bene, sed audacius scriptum dicit) non minus quam Heinsii scriptura **omnem urbis** statum **concutientibus** in eo laborat, quod Vellejus sic idem diceret, ac verbis insequentibus summa imis miscuit. Neque, si haec vera esset Velleji manus, certiores fieremus, cuinam rei Tib. Gracchus legibus agrariis ferendis operam dedisset, quod sine dubio docere vult scriptor. Ceterum de omnibus fere, quibus hic locus tentatus est conjecturis, idem valet, quod in editionis principis scriptura dijudicanda attuli, sc. sensum probabilem non exstare neque doceri, quid Tib. Gracchus legibus ab ipso latis agrariis contenderit, ut de Halmii conjectura **novum** omnibus statum scribi jubentis, et Gruneri, qui pro omnibus legendum censet inopibus.

II, 4, 7:

„Decessit (i. e. P. Scipio Africanus Aemilianus) anno ferme quinquagesimo sexto, de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatus ejus, in quem evectus est anno tricesimo octavo; ita dubitare desinet.“

Ed. pr. et Amerb. exhibent in quem **creatus** est, pro quo vir doct. in Bibl. philol. Lips. Vol. I. p. 45. conjecit, quod Krausio auctore in Add. et Corrig. p. XLVI. Kritzius in textum recepit. Creare aliquem in consulatum nullo modo ferri posse sic inter omnes constat, ut de eo disseras non necesse sit, neque solum insolens est, sed ita barbarum, ut ne supina quidem scribentis negligentia excusari possit. Quod autem ad evectus verbum attinet, mea

[1]) Quod ad verbum concupiscendi cum accusativo cum infinitivo conjunctum attinet, cf. Suet. Cal. 28: „Cum discerpi senatorem concupisset.“

sententia, qui sic scribendum conjecit, non in rectum incidit. Haud multum quidem scriptura distat a creatus, neque hujus verbi usurpatio Vellejo aliena est: sed hoc non satis causae est evectus in textum recipiendi, ut Kritzio visum est, qui Velleji usu illud vocabulum egregie confirmari dicit. Omnibus enim locis, ubi evectus scriptum legitur, scriptor hujus vocabuli usurpatione summum alicujus rei fastigium adaequatum dicere vult, et quasi admirationem lectoris movere. Cf. Vell. II, 90, 1: „Agrippam usque in tertium consulatum amicitia principis evexerat." Id. II, 53, 3: „Hic viri in id evecti, super quod ascendi non potest, vitae fuit exitus." Tac. Ann. 14, 52: „Ingentes et privatum supra modum evectae spes...." At hoc loco scriptor nulla alia ex causa prioris P. Scipionis consulatus mentionem facit, nisi ut, quae narrat, vera esse demonstret, neque quidquam habemus, cur tale vocabulum placeat. Quod enim Kritzius addit: „Usus est Vellejus evectus vocabulo, quia Scipio ante legitimam aetatem summum honorem obtinuit." Kritzium non recte sentire nec discernere demonstrat. Nam aliud est ipsius muneris dignitas, ad quam quidem significandam evehere usurpatur, aliud dignitas atque praestantia personae. Deinde autem ne hanc quidem Vellejum attingere velle apparet, quum, ut modo exposui, ea tantummodo ex causa de Scipionis consulatu disserat, ne quis dubitet de anno, quo hic decesserit.

Haud difficiliore mutatione, quam evectus, provectus verbum e codicis scriptura creatus fingitur, quod equidem propono ut legatur. Optime enim hoc loco quadrat, quippe idem significet quod nostrum befördert, ut elucet ex Tac. Ann. 13, 20: „...sed Burrum etiam demovere praefectura destinaret tanquam Agrippinae gratia provectum et vicem reddentem."

II, 5, 1:

„Ante tempus excisae Numantiae praeclara in Hispania militia D. Bruti fuit, qui penetratis omnibus Hispaniae gentibus, ingenti vi hominum urbiumque potitus numero, aditis quae vix audita erant, Gallaeci cognomen meruit.“

Primus voce numero Lipsius offensus est, qui eam ex glossa in textum irrepsisse putat, quod Ruhnkenius probat. Raphelengius [1]) suspicatur, numero adverbium esse eandem vim habens quam cito. Sed, ut Alsters. Quaestt. Vell. p. 21. recte dicit, scriptores istius temporis hac voce non usi sunt ita, ut sub eo ista sententia subjicienda sit. Ita, ut Burmannus vult, qui voces vis et numeri cumulari censet, interpretari non licet propter verborum collocationem. Kritzius, et Lipsii sententiam reprobans et Kreyssigii, scribi jubentis ingenti **ibi** hominum etc., sive vi scribatur dicit sive numero, adjectivum ingens, recte de hominibus captis dictum, perperam ita ad urbium nomen trahi. Quod equidem recte cogitatum esse censeo. Neque puto, jure Alsters. p. 22. ad hanc Kritzii sententiam refutandam ita loqui: „Apparet, ubi ingens hominum urbiumque numerus dicatur, non tot urbes dici quot homines, sed utrosque ex ratione.“ Nescio enim, quo jure ingens verbum aliter, ac per se accipi possit, ita, ut hic maximum, hic haud ita magnum numerum significet.

Quantum ad ipsam quidem Kritzii scripturam attinet, eam, i. e. lectionem codicis, male defendit: „In vulgata“, inquit, „vero omnia recte habent, modo teneas ingenti non pertinere ad numero, quod vocabulum absolute positum potestatem habet numeralis indefiniti, plane ut apud Germanos **eine Anzahl** Städte idem est quod **mehrere**

[1]) Ad h. l. in integris animadverss. doctt. ed. Ruhnken. p. 697.

Städte.“ Saepe quidem numeri vox eam vim habet; at hoc loco, ut Alsters. l. l. recte dicit, quia vis voci ingens adjectivum additum est, scriptor, si tale dicere voluisset, numeri voci talis significationis adjectivum addere debebat. Idem Alstersius, Lipsii opinionem non probabilem videri dicens, cum nullum vitium in codice Murbacensi inveniatur quod ex glossa interpretante ortum sit, vis vocem delendam esse putat; nam facile fieri potuisse, ut librarius, cum. ut saepe factum sit, proxima tantum verba respiceret, verbum cui multitudinis notio subjecta esset desiderans vi, quod forsitan propter praecedens ingenti excidisse putaverit, insereret. Sic verbum a librario falso illatum esse I, 11, 2: „Quippe Q. Metellus praetor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum **erat**, praeclara victoria ipsum (i. e. Pseudophilippum) gentemque superavit.“ At primum jam supra demonstratum est, sive vi scriberetur, sive numero, adjectivum ingens perperam ad nomen urbium trahi. Deinde autem nullo modo mea quidem sententia fieri potuit, ut librarius inscientia vi verbum insereret. Haud enim magno spatio ingenti distat a numero voce, neque omnino, si, quam vult Alstersius, vera esset scriptura, quidquam fuisset, quare tale facile fieri posset. Exemplum autem, quod affertur, non ejusmodi est, ut ad Alstersii sententiam confirmandam valeat.

Ut mihi quidem videtur, post numero verbum numerale excidit, et urbiumque mutandum est in urbibusque, ita ut scriptor doceat, quam multis urbibus D. Brutus sit potitus. Urbiumque cum urbibusque facile confundi potuisse mihi concedes, tum certe, si librarios compendio scribere solitos esse cogitaveris. Neque scio, quo alio modo hic locus tentandus sit. Scripturam enim codicis ferri non posse, neque vi aut numero voce delenda sensum probabilem effici satis demonstravisse mihi videor.

II, 7, 6:

„Factum Opimi, quod inimicitiarum quaesita erat ultio, minor secuta auctoritas, et visa ultio privato odio magis quam publicae vindictae data.“

Vulgatam lectionem, permultis conjecturis a VV. DD. tentatam, Kritzius, secutus Wopkensium [1]) retinendam censet, eamque, et idem valere contendens quod et quidem, sic explicat: „Factum Opimii caruit auctoritate, quia erat ultio inimicitiarum quaesita, et quidem ultio privata, non vindicta publica.“ Hanc interpretationem nihil valere apparet: quid enim intersit inter ultionem inimicitiarum et ultionem privatam, non intellegitur; deinde autem in codicis scriptura, quam Kritzius servat, legitur et **visa** ultio etc. Hoc ipsum visa verbum quid sibi velit non intellegitur, quum verbis antecedentibus scriptor voce rem dubitanter efferenti non usus dicat factum Opimii inimicitiarum quaesitam esse ultionem. Quare Lipsii quoque et Heinsii sententias, quorum hic scribi jubet ut visum privato odio m. q. p. vindictae dari, ille conjecit et visum privato odio m. q. p. vindictae datum, equidem probare non possum. Tamen non existimo, necesse esse ad hunc locum sanandum deleantur voces quod inimicitiarum quaesita erat ultio, id quod praecedente Cludio Krausio visum est. Neque vocem ultio ejiciendam censeo, quod fieri vult Schefferus. [2]) Sed ipsa verba et visa impedire suspicor, quominus sententia probabilis exstet. Haec igitur mutanda censeo. Puto autem enuntiatione, quam affert post verba minor secuta auctoritas, scriptorem velle docere, quare illud Opimii factum minor sit secuta auctoritas, et quidem ita, ut verbis quod inimicitiarum quae-

[1]) Wopkens. Lectt. Tull. II, 5. p. 148. Ed. Amstel.

[2]) In Misc. Obss. Vol. IX. p. 347.

sita erat ultio hujus ejusdem enuntiationis causam afferat. Forsitan vera Velleji manus restituitur scribendo pro et visa quia ita vel quia sic, in qua scriptura sic (ita) vocem referas ad quod inimicitiarum quaesita erat ultio, tali fere sensu: „Quum Opimius sui ulciscendi causa Tiberium Gracchum interficeret, ultio quodammodo quidem et rei publicae data est, eo quod qui civitatem in tantum periculum vocaverat, interfectus est; sed, quum Opimium non amor patriae ad id faciendum commovisset, sed odium privatum, ultio magis huic quam publicae vindictae data est, qua de causa factum Opimii minor secuta est auctoritas.“ Sic quaesita et data voces quodammodo inter se sunt oppositae, neque verba quod inimicitiarum quaesita erat ultio ullo modo vetant insequentia retineri: respiciunt enim causam, qua commotus Opimius necem illam patraverit, quum sequentia...ultio privato odio magis etc. doceant, quid hoc facinore effectum sit.

II, 9, 6:

„Sane non ignoremus eadem aetate fuisse Pomponium sensibus crebrum, verbis rudem, sed novitate inventi a se operis commendabilem.“

Ed. pr. et Amerb. lectionem praestant sensibus **celebrem**, et infra **et** novitate etc. Quantum ad celebrem attinet, praecedente Orellio Kritzius hoc verbum in crebrum mutandum esse censuit. „Celebrem“, inquit, „prorsus ineptum est, quum Vellejus Pomponium describat qualis per se sit, non qua hominum fama atque existimatione fuerit.“ Recte mea quidem sententia. Alstersius quidem Quaestt. Vell. p. 27. aliter se sentire profitetur, hoc modo Kritzii sententiam refutare studens: „Sed dubium esse potest, num celebrem prorsus ineptum sit. Hoc quidem certum est, Vellejum non ita magni aestimare Pomponium, quod vel ex eo colligi potest, quod in enumerandis scriptoribus eum ad

extremum nominat hisce verbis haud laude celebrantibus inducens: Sane non ignoremus. Quare fieri potuit ut, cum ille a multis propter sententias eximia laude ornaretur, nitida vero oratio a nullo ei tribui posset, Vellejus illi de sententiis gravibus illis quidem sed agrestibus verbis neque assentiretur neque obloqueretur, multorumque illud judicium tantum referret, de oratione vero quid judicandum esset, diceret.“ Mihi quidem Vellejus non ita de Pomponio dicere videtur, ut eum hunc haud magni aestimare concludendum sit. Quantum primum ad verba Sane non ignoremus attinet, sane talem habet significationem, ut vox, quacum conjunctum est, eo majore vi efferatur. Non ignorare autem idem esse quod perbene cognitum habere inter omnes constat. Quod autem scriptor Pomponium ad extremum nominat, ex eo mea sententia potius concludi potest, Vellejum eum praecipua laude ferre velle, praesertim quum eum inducat verbis sane non ignoremus. Neque verum est, quod Alsters. infra addit: „Voces novitate inventi a se operis commendabilem ambiguam laudem continent, ut ex eo apparet, quod I, 17, 1 est: „Nam nisi aspera ac rudia repetas et inventi laudanda nomine, in Attio circaque eum Romana tragoedia est.“ Loco enim I, 17, 1 scriptor opus ipsum rude vocat et asperum, quum hoc loco verba tantummodo ejusmodi fuisse dicat, sensus autem laude efferat. Id quoque equidem probare non possum, quod de vocis celebre significatione dicit idem Alstersius: „Ceterum voces celebre et dignum quod celebretur quasi cognatione quadam inter se contineri videntur, siquidem ii qui laudantur laude putantur digni esse, ut in laude est eadem significatione positum invenitur ac pretium habet.“ Nullo enim loco, quantum equidem scio, celebre pari significatione scriptum reperitur ac laude dignum.

Ceterum ex eo, quod celebrem mutandum censuit in crebrum, apparet, Kritzium veras causas, ex quibus celebrem ferri nequit, nullo modo perspexisse. Requiritur

autem verbum, quod vim habeat plane oppositam vocis rude, neque prohibeat, quominus sensibus verbum recto modo interpretemur. Quibus crebrum verbum multo etiam minus satisfacit, quam codicis lectio. Si enim legitur crebrum, plane necesse est sensibus intellegatur per id, quod nos dicimus Sinnspruch, ita, ut hoc loco idem valeret quod sententiis, quo utens verbo Kritzius interpretatur. Et ne tum quidem, si vulgatam tueremur lectionem, alia explicatio verbi bene quadraret. Significat autem, ut certe omnes mihi concedent, sensibus vox, opposita verbis, id quod verbis continetur. Qua de causa, et quum, ut supra docui, adjectivum cum sensibus voce conjunctum requiratur, quod adjectivo rudem plane sit oppositum, equidem propono perfectum, quae scriptura haud facili quidem, sed neque difficillima mutatione e codicis eruitur.

Altera diversitas sententiarum exstat de eo, quae particula scribenda sit ante voces novitate inventi etc. In codice scriptum erat et, pro quo Vossius scribi jubet at (vel sed), Lipsius sed, quem Kritzius sequitur, quod antecedant voces sententiis crebrum, et ipsa laudem continentia. Equidem non invenio, hic, quam vult Kritzius, ἀντίϑεσιν exstare. Sed neque censeo et particulam retineri posse. Vellejus enim hac ex causa de Pomponio loqui videtur, ut novum opus ab eo inventum esse doceat. Quare et delendum esse censeo, ita, ut ejusmodi exstet enuntiatio: Sane non ignoremus eadem aetate Pomponium, qui sensibus creber, verbis rudis erat, novitate a se inventi operis commendabilem fuisse.

II, 16, 4:

„Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum duo Romani consules, Rutilius ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur, utque ad saga iretur diuque in eo habitu maneretur.“

Alsters. Quaestt. Vell. p. 32. se non videre profitetur, quomodo varia retineri possit, quippe non scriptum inveniatur, deinde Romanos semper vel plerumque superiores discessisse, et ne infra quidem in hoc eodem capite aliud dicatur nisi hoc: „Paulatim deinde recipiendo in civitatem qui arma aut non ceperant aut deposuerant maturius, vires refectae sunt, Pompejo Sullaque et Mario fluentem procumbentemque rempublicam Romanam restituentibus." „Et ne sic quidem", pergit Alstersius exponere, „varia ferri posset, conjunctum quidem cum atrocis voce." Scriptum autem fuisse videri verbum idem significans atque atrox, et sese existimare scribendum esse tam **dura**; dura enim facile confundi potuisse cum uura; hoc autem, quippe quod nullam omnino sententiam praebeat, mutatum esse in varia.

Equidem tali mutatione opus esse non censeo. Ut enim Vellejus omnino sumere solet, res, de quibus loquitur, esse notas, ita, quantum ad hunc locum attinet, cognitum haberi sumere videtur, Romanos posteriore hujus belli tempore superiores discessisse. Deinde autem enuntiatione insequenti illa, quam supra attuli, sc. quae incipit hisce verbis: Paulatim deinde recipiendo, scriptor nos certiores facit, victoriam postero tempore a partibus stetisse Romanorum, quamquam haud talibus utitur verbis, quibus ipsa proelia ab iis feliciter facta significet. Nam quo alio modo Pompejus, Sulla, Marius fluentem procumbentemque rempublicam restituerunt, nisi vincendo hostes?

Quare autem varia ea de caussa, quod non possit conjunctum esse cum atrox voce, ferri nequeat, equidem plane non intellego. Primum enim quo magis varium est quodque bellum, eo est atrocius, deinde autem, si vis voces atrox fortuna ad Romanos tantummodo spectare: eo, quod hi postea victores discesserunt, calamitas, qua afflicti sunt cladibus istis accipiendis, nullo modo est moderata.

Sed ne ei quidem, qui his non adduci possit, ut lectionem vulgatam plane probandam esse censeat, codicis scrip-

tura mutanda est. Constat enim inter omnes, apud nostrum scriptorem permulta vestigia orationis ad similitudinem consuetudinis familiaris expressae et negligentiae in scribendo inveniri, ita, ut saepissime singula ad justam formam non sint exacta.[1])

II, 26, 1:

„Deinde consules Carbo tertium et C. Marius, septiens consulis filius, annos natus viginti sex, vir animi magis quam ingeni paterni, multa fortiterque molitus neque usquam inferior nomine consulis, apud Sacriportum pulsus a Sulla acie, Praeneste, quod ante, natura munitum, praesidiis firmaverat, se exercitumque contulit.“

Ed. pr. et Amerb. **aevi** paterni lectionem praestant; in qua scriptura voce aevi multi offensi sunt, eamque mutandam censuerunt. Ita jam Heinsius ad marginem libri sui fati adscripsit. Quae conjectura (si conjecturam esse Heinsius voluit, neque, quod forsitan est, hoc verbo adscribendo explicationem afferre voluit vocis aevi) probanda non videtur propter mutationis difficultatem; neque, ut infra demonstrabimus, quamquam fati valde probabilem efficit sensum, tali mutatione lectionis vulgatae est opus. Bernaysius[2]) scribi jubet vir animi magis **saevi quam** paterni; sed primum talis attractio, ut vocatur, fieri non potest[3]), deinde autem ita contra historiae fidem esset dictum. Marius enim pater tanta erat crudelitate, ut superari vel nequiret, et certe filius, quamquam a crudelitate nullo modo plane absolvendus, crudelior patre fuisse omnino non potest dici.[4])

---

[1]) v. Kritz. Prolegg. c. II. p. LXXI. sqq.

[2]) v. Haasii praef. p. IX.

[3]) Cf. Madvig., Lat. Sprachlehre § 303, b.

[4]) De patris crudelitate cf. Vell. II, 22, 1: „Mox C. Marius pestifero civibus suis reditu intravit moenia. Nihil illa victoria fuisset crude-

Sentententia Orellii, scribi jubentis vir animi magis quam **ingeni** paterni, quam scripturam Kritzius in textum recepit, propter eandem causam probari non potest, ex qua lectio Bernaysiana rejiciatur necesse est. Quum enim, ut recte affert Alsters. Quaestt. Vell. p. 38., ingenii et animi vocibus inter se oppositis, ingenium significet id quod nos dicimus Geist, animus autem idem valeat ac nostrum Gemüt, ita quoque filius majoris, quam pater, crudelitatis argueretur a scriptore. Neque equidem Alstersium sequi possum, qui Orellii scriptura, quantum ad aevi in ingeni mutationem attinet, probata, ante magis vocem non excidisse suspicatur, ita ut filium magis ingeni, quam animi paterni fuisse dici velit. Ingenium enim Marii filii summum fuisse apparet ex Vell. II, 27, 5: „Utcunque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur ejus memoria. De quo juvene quid existimaverit Sulla, in promptu est; occiso enim demum eo Felicis nomen assumpsit.“ Sed mihi quidem ex iis, quae nobis tradita sunt de Mariorum et animis et ingeniis, persuasum est, neque hoc neque illo filium ita diversum fuisse a patre, ut scriptor jure, quod attineat et ad ingenium et ad animum, filium patri opponere possit. Ut

---

lius, nisi mox Sullana esset secuta; neque licentia gladiorum in mediocris saevitum, sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti.“

Filium quoque a crudelitate haud remotum fuisse, apparet ex Val. Max. VII, 6: „Digna enim erat causa, hinc (i. e. C. Marius et Cn. Carbo consules) an illi (i. e. Sulla ejusque partes) crudelitatem suam proscriptione civium satiarent, ut Dii immortales spoliarentur.“

Quantum ad id attinet, quod Livius epit. LXXXI. contendit, Marii consulis jussu Damasippum crudelissimas illas caedes patrasse, ob quas Val. Max. IX, 2 Damasippum dignum judicat qui crudelissimis hominibus adscribatur: ex hoc nihil de Marii filii ingenio concludi potest, quippe Val. Max. de isto Marii praecepto nihil sciat.

Ceterum Val. Max. l. l. inter exempla insignis crudelitatis Marium patrem affert, non filium, neque aliquis scriptor filium crudeliorem patre fuisse dicit.

enim ipse Alstersius l. l. profitetur, in ea scriptura, quam veram Velleji manum esse putat, ingeni vox majorem habet vim. Mihi igitur videtur animi verbum hoc loco idem valere, quod nostrum innere Beschaffenheit, ita, ut neque ingenii, neque mentis, sed corporis sit oppositum voci. Cf. Cic. Tusc. I, 22: „Cum igitur: Nosce te, dicit, hoc dicit: nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te.“ Itaque et idem ingenium, et eosdem mores filio fuisse mihi videtur scriptori dicendum fuisse ac patri.

Laurentius, qui vulgatam tuetur, hoc scriptorem dicere voluisse existimat: Marium animo quidem patri fuisse similem, sed, immatura morte exstinctum, tam longum vitae spatium explere nequivisse. Talem sententiam non dignam esse, quae proferatur, certe omnes mihi concedent. Sed hoc nullo modo vetat codicis scripturam retineri: vox enim aevi etiam significat tempus, in quod vita incidit, ut apparet ex Vell. II, 31, 1, ubi scriptor sic de Pompejo dicit: „Per omnia major aevo habebatur.“ Ut autem per se nihil obstat, quin jure tale quid dicatur, ita quam summo jure vita filii in alia tempora incidisse dici potest, ac patris, sc. in tempora ad gloriam parandam minus aequa. Neque verum est, quod Alstersius ad hujusmodi interpretationem hujus loci refellendam dicit, sc. sic historiae fidem violari. Incidit autem patris vita in tempora belli Jugurthini et belli Cimbrici, in quibus ita versatus est, ut praeclarissimorum omnium temporum virorum gloriam adaequaret, quum filii vita in tempora inciderit belli civilis, cujus pater particeps quidem erat; sed, quum ejus esset auctor, vita ejus in haec tempora incidisse quidem dici non potest. Omne autem bellum civile neque per se eodem modo ad gloriam parandam idoneum est, quo externum bellum, neque, si hoc esset, Marius filius tali rerum statu, ut partes Sullanae longe praevalerent, ad gloriae fastigium evehi potuisset. Scriptor igitur hoc di-

cere velle videtur: Si filii vitae tempus haud secus ac patris gloriae quaerendae congruisset, propter pares ingenii facultates, is quoque praeclarissimis nominibus esset adscribendus. Forsitan autem scriptor etiam ad summam istam ignominiam respexit, qua pater notatus est propter crudelitatem, et hanc quoque sententiam proferre voluit: Si vita filii in tale incidisset tempus, ut bellum civile conflare atque alterarum partium ductui auspicioque præesse posset, eadem ignominia esset notandus, qua pater.

II, 29, 2:

„Fuit hic (Cn. Pompejus) genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque, quae in illam conveniens amplitudinem fortunamque eum ad ultimum vitae comitata est diem.“

In hac scriptura equidem primum non retineri posse puto lectionem **qua** flos etc.; quum enim aetas hoc loco, ut Cic. Rosc. Am. 51, 149, ubi legitur: „Quoniam ad dicendum impedimento est aetas et pudor, qui ornat aetatem“, eandem sententiam habeat quam juventutis vox, flos autem idem significet ac (juventutis) pulcritudo, aut certe tale, quod se ipsum commendet, flos aetatis commendatur forma excellenti dici posse non puto. Neque, si hoc esset, justa exstaret hoc loco oppositio unius pulcritudinis generis cum altero, quippe ea quoque forma excellens, de qua in insequentibus scriptor loquitur, et qua Pompejum inter omnes eminuisse dicit, aetatem ornet atque commendet. Quare lenissima conjectura qua mutandum censeo in quae, ut Pompejus non flore aetatis, cum ipsa juventute evanescente, sed altero illo pulcritudinis genere excellens fuisse dicatur.

Deinde, quod attinet ad verba ex dignitate constantiaque, quae, ut exhibet Kritzius, aliter atque hic

sentio. In codice deerat vox quae. Primus eam contextui verborum inseruit Aldus Nepos, quo simplicissime et sensui et structurae consultum esse dicit Kritzius. „Ex", inquit, „h. l. causam designat, hoc sensu: formae in eo fuit excellentia, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ea, quae prodit ex dignitate, vel efficitur dignitate et constantia." Dignitas constantiaque autem vult figurâ ἓν διὰ δυοῖν esse idem quod constans dignitas, i. e. quae per omnes aetatis gradus permanet. Id quidem verum est, quae propter praecedens que sexcenties excidisse in codice[1]), neque quidquam vetat voces forma ex dignitate etc. ita interpretari, ut vult Kritzius. Sed dignitatem constantem esse et per se patet, quare non aptum foret, si scriptor talis sententiae adjectivum adjungeret voci dignitatis, neque quadrat hoc loco, quam Kritzius vult, apposita constantis vox, quia sic quodammodo perturbaretur oppositio ista, quam inter pulcritudinem, ex venustate constantem, et formam illam excellentem, quae dignitate efficitur, esse vult scriptor. Denique id, quod in hac scriptura rursus cogitandum esset formâ excellens, et necesse esset mutetur structurae ratio ac tollatur membrorum aequalitas, non tale est, ut hanc Aldi Nepotis conjecturam probabilem reddat.

Etiam faciliore conjectura, quam ea est, qua efficitur lectio Kritziana, oritur, quod editor Basil. legendum censet, sc. ex dignitate constanti quae. Saepius[2]) apud Vellejum talia scripturae menda occurrunt, ut trajectione tantummodo singularum litterarum sanari possint. Quorum numero hic quoque locus adscribendus videtur. Scripturam autem, quae debetur Lipsio, in omnes partes satis facere hujus loci naturae, sic apparere puto, ut verbis explanetur nullo modo necesse sit. — Ceterum, quantum ad ipsam rem, de qua scriptor

---

[1]) Cf. II, 25, 3; II, 50, 1; II, 94, 4; II, 128, 1.

[2]) Cf. Kritz. Prolegg. c. III. p. XCVI.

disserit, i. e. ad duo illa pulcritudinis genera attinet, cf. Cic. de off. I, 36 init.: „Cum autem pulcritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem."

II, 29, 3:

„Fuit hic (i. e. Cn. Pompejus) ....dux bello peritissimus, civis in toga, nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem, modestissimus."

Lipsio præeunte Krausius scripsit **belli** peritissimus, qua quidem scripturae codicis mutatione, ut recte dicit Kritzius, nihil opus est. Peritus enim haud saepe quidem cum ablativo junctum reperitur, sed non solum genitivum huic verbo jungi usitatum esse elucet e Caes. B. C. III, 93: „usu periti ac superioribus pugnis exercitati sua sponte cursum represserunt." [1]) Sed sine dubio voces bello et peritissimus ita inter se conjunctas esse scriptor noluit. Quod quodammodo Kritzius quoque intellexit, ut apparet ex his ejus verbis: „Quum per se peritus cum ablativo jungi possit, tum h. l. iste casus plurimam ab oppositionis ratione excusationem habet; bello enim respondet verbis in toga." Hanc Kritzii sententiam haud satis cogitatam esse in oculos incurrit, quamquam talis est, ut rectam viam quasi digito monstret. Si enim bello respondet verbis in toga, cum peritissimus conjunctum esse non potest. Apparet autem, scriptorem velle docere, Pompejus quis fuerit in bello, quis in pace. Qua de causa mea quidem sententia Kritzius non recte dicit, respondere inter se verba bello et in toga, quia, si hoc esset, Pompejus in toga civis fuisse modestissimus diceretur, ita ut dux voci civis responderet. Quod certe scriptor noluit. Sed hoc docere velle videtur,

---

[1]) v. Gronov. ad Gell. IV, 8. Davis. ad Hirt. de B. Afr. c. 31, 2. — Ruddim. Institt. Gramm. II, p. 71.

Pompejum in bello fuisse ducem peritissimum, civem autem in toga (i. e. ubi, tempore pacis, civis fuerit), modestissimum fuisse, ita ut dux peritissimus respondeat non civis modestissimus, sed modestissimus tantummodo. Ducem enim in bello fuisse Pompejum, hoc sane dignum est quod verbis efferatur; contra in toga civem eum fuisse, et per se patet, et, hoc praecipue loco ubi civis vox alteri respondeat necesse esset, nullo modo verbis erat efferendum.

Ut autem major singulorum membrorum exstet aequalitas, bello trajiciendum videtur, ut locum obtineat ante dux. Sed ne sic quidem vera Velleji manus restituta esse videtur. Bello enim ablativus, in praepositione non apposita, haud scribi solet, nisi ubi domi verbum ei oppositum reperitur. Ubi autem in pace etc. scriptum legitur, cum belli quoque voce in praepositio conjungi solet. Cf. Sall. Cat. 9, 4: „Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos...., in pace vero“ etc.[1])

II, 29, 5:

„Hic (i. e. Cn. Pompejus) a toga virili assuetus commilitio prudentissimi ducis, parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentiae coluerat, ut a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompejus timeretur validius.“

Ed. pr. et Amerb. scripturam exhibent prudentiae celeriora et a Sertorio. Quomodo hic ab aliquo librario quam maxime corruptus locus in integrum restituendus sit, nequaquam in plano est, ut apparet ex magno numero conjecturarum, quae factae sunt. Quod Burerio scribendum visum est, prudentia celerior, ita ut a Sertorio, non

[1]) Cf. Ter. Ad. pr. 20., et v. Klotz, Handwörterbuch der Lat. Sprache, sub voce belli.

melius est, quam ipsius codicis scriptura. Conjecturis inter se valde similibus faciendis huic loco sanando operam dederunt Ed. Basil., Vossius, Ruhnkenius, Grunerus, Cludius, mutantes prudentiae in prudentia, quam vocis formam pro ablativo haberi volunt, pro celeriora et autem scribentes (ex)coluerat (ita) ut. In quorum scriptura Kritzius se offendi profitetur ablativo prudentia, has omnes conjecturas sensu valde laborare dicens: ingenium enim non coli **per** prudentiam militarem, sed **ad** p. m., quippe quae culto ingenio constet, non ad colendum ingenium adhibeatur. Mutatione celeriora et in coluerat ut retenta, idem Kritzius prudentiae dativum, ut praestat lectio codicis, tuetur, quam scripturam sic interpretatur: Pompejus bonum etc. ingenium, neglectis aliarum disciplinarum studiis, imprimis (singulari) ad eum finem coluerat, ut rerum militarium prudentiam consequeretur.“ In his verbis recte quidem dativum prudentiae, quem retineri vult, interpretatur, sed apparet ex hoc ipso clarissime, dativum non eam efficere sententiam, quam hoc loco requiri supra idem Kritzius contendit, sc. ingenium coli ad p. m. Deinde, quod certe omnes mihi concedent, singulari verbum Kritzius non recte explicat. Quod sine dubio, ut saepissime, hic idem valet quod praestans vel eximius, ita ut scriptor Pompejum ad summum prudentiae militaris gradum pervenisse dicat. Omnino explicatio ista Kritzii talis est, ut, qui eam sequitur, Vellejum perversissimam sententiam nulloque modo cogitatam elocutum esse profiteatur necesse sit. Deinde, quod ad id attinet, quod Kritzius emendationi, ut vocat, suae non obesse judicat, quod exempla structurae ingenium colere alicui rei non in promptu sint, certe hoc tale est, ut ejusmodi structuram non, nisi ubi sensum valde probabilem efficit, ferri permittat.

Id quidem rectissime dicit Kritzius, lectionem prudentia (ex)coluerat ferri non posse. Cf. quod supra de hac re allatum est. Sed ne ipsum verbum excolendi quidem (id

quod voci colendi longe esset praeferendum) mea sententia hoc loco quadrat. Si enim scribimus ad singularem rerum militarium prudentiam excoluerat, id quod solum sensum efficit per se probabilem, codicis scriptura ratione haud probanda mutatur. Nam ad praepositio ut excideret ante singularis vocem, singulari scriberetur pro singularem, certe nemo est, qui hoc factum esse concedat.

Ceterorum, qui conjectura facienda huic loco sanando operam dederunt, Heinsius scribendum censet prudentia expolierat, ut, Ed. Bipont. conjecit prudentia extulit ut, quas conjecturas et sensu et codicis scripturae mutandae ratione magnopere laborare sic apparet, ut verbis explanandum esse non videatur. Neque commendatur quod Laurentius[1]) scribendum conjecit, prudentia excellere curarat, ut, nec facilitate mutationis, nec sensu, ut de hoc taceam, quod verba excellere curarat per se lentissime sunt dicta. Ut autem quid mihi legendum videatur dicam, equidem sequor Burmannum, quem conjiciendo prudentia celebraverat ut in rectum incidisse quam maxime persuasum habeo. Nam non solum facilitate mutationis scripturae vulgatae haec conjectura ceteras omnes superat, sed etiam sensum longe praeferendum complectitur. Verba enim insequentia ut (quin et sic mutandum sit dubium esse non potest) a Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompejus timeretur validius, celebraverat voce in textum recipienda optime explicantur, quippe celebritate nominis Pompeji Sertorio praecipuam ejus timendi causam praestitam esse appareat.

II, 33, 1:

„Qui (i. e. L. Lucullus) alioqui per omnia laudabilis et bello paene invictus pecuniae pellebatur cupidine".

---

[1]) In Loc. Vell. p. 139.

Ed. pr. lectionem exhibet **ex**pellebatur, nihil adnotante Burerio, Amerb. pellebatur, quod Orellius et Froehlichius pro vera scriptura habuerunt, in qua re Kritzius eos secutus est. „Discrepantiam Ed. pr.“, inquit Kritzius, „Froehlichius bene inde repetit, quod, quum in cod. Murb. **a** litera in hunc modum **cc** esset formata, ...Rhenanus verba pecuniccepellebatur legeret pecunie (i. e. pecuniae) ccpellebatur, idque in expellebatur mutaret, Burerio in ea re consentiente.“ Sed recte Alsters. Quaestt. Vell. p. 40. contra hanc Kritzii sententiam dicit: „At vereor, ne haec falsa criminatio sit; nam Burerius editionem principem cum codice non ita comparavit, ut eas tantum discrepantias denotaret quae ipsi non placerent, eas vero quae placerent non notaret. Dubitari igitur non potest, quin in codice Murbacensi scriptum fuerit **ex**pellebatur, illudque pellebatur nihil aliud sit nisi conjectura vel mendum scripturae Amerbachii, qui talibus vitiis abundat.“ Expellebatur retineri non posse apparet. Sed neque pellebatur ferri potest. Primum enim Kritzius in eo errat, quod verbum hoc loco requiri putat quod vincendi habeat vim et oppositum sit voci invictus, in qua quidem re Alstersius ei assentit, dubitari non posse dicens, quin ejusmodi verbum hic fuerit scriptum. Etiam nonnulli alii viri docti, qui in hoc loco tractando versati sunt, tale verbum scribendum esse censuerunt, ut Acidalius, qui conjecit excellebatur, Lipsius, qui scribi jubet debellabatur, deinde Gruterus et Burmannus, quorum hic expugnabatur, ille exbellabatur scribendum censuit. Sed opus est voce, quae opposita sit antecedenti verbo laudabilis. Verbis enim qui alioqui per omnia laudabilis et bello paene invictus quod continetur ita explicandum est, quasi scriptum esset qui per omnia, praecipue quantum ad artem bellicam et fortitudinem attinet, laudabilis erat, quippe quum bello paene esset invictus, ita ut bello paene invictus voces antecedentia aliqua ex parte illustrent.

Deinde autem: fac hic requiri vocem quae vincendi habeat vim, ne sic quidem pellebatur ferri posset. Quod enim Kritzius contendit, pelli idem esse atque vinci, non verum est. Nam loco illo Taciteo, quo utitur ut hoc verum esse ostendat, sc. Tac. Hist. III, 24 „haec, ut quosque accesserat; plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens, ut sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent", pellere significationem habet naturalem atque principalem, quum hostes eo vincantur, quod pelluntur. Sed non ita homines vincuntur a cupidinibus. Neque in Kritzii sententiam confirmandam quadrat locus Plaut. Trinumm. II, 2, 23 (308 sq. ed. Fleckeisen.):

„Si animus hominem pepulit, actumst, animo servit, non sibi;
Sin ipse animum pepulit, vivit, victor victorum cluet."

hic enim imagine ab acie petita Plautus usus esse videtur.

Mea quidem sententia palmari conjectura usus est Bernaysius [1]), qui scripsit polluebatur. Haec enim scriptura non solum facili lectionis codicis mutatione nascitur, sed etiam efficit, ut, quod requiritur, laudabilis verbo exstet oppositum.

II, 33, 2:

„Accepta ea (i. e. lex a Manilio tribuno plebis lata) magnisque certatum inter imperatores jurgiis, cum Pompejus Lucullo infamiam pecuniae, Lucullus Pompejo interminatam cupiditatem objiceret imperi, neuterque ab eo, quo arguebatur, mentitus argui posset."

Ed. pr. et Amerb. exhibent ab eo, **quod** arguebatur. Lectio, quam Kritzius in textum recepit, debetur Ed. Basil., cujus rationem scribendi quo pro quod hisce verbis Kritzius defendit: „Facillima ratione Ed. Basil. veram lectionem restituit. Acumen quaesivit Vellejus eodem verbo

[1]) v. Haasii praef. p. X.

vario sensu posito; nam quum priore loco argui sit criminibus peti, altero convinci, praepositio autem ante relativum cogitatione repeti debeat (v. ad I, 7, 1.) sententia haec est: neuterque ab eo, a quo arguebatur sive probris afficiebatur (i. e. uno verbo ab adversario) **convinci** posset **mentitus esse**, i. e. falsa esse quae illi objecisset.“ Contra hanc explicationem haec dicenda esse videntur. Cur Vellejum arguendi verbum priore loco alio sensu atque altero posuisse putemus, profecto nihil est. Sed sine dubio non minus quam priore, altero quoque loco argui idem est quod criminibus peti, ita ut scriptor haec docere velle dici possit: Quum optimo jure Pompejus Lucullo infamiam pecuniae, Lucullus Pompejo interminatam cupiditatem imperii objiceret, idque omnibus esset notum, neuter eo se convertit, ut adversarium mentitum esse contenderet, sed probra in eum cumulare perrexit. Quo praecipue factum est, ut magnis inter imperatores jurgiis certaretur. Scriptorem dicere velle, utrumque operam quidem dedisse, ut convinceret alterum mentiri, sed hoc coarguere non potuisse, hoc certe non cogitandum est. Tum enim utrique argumentis fuisset agendum, et rationibus nitendum, quibus refelleret crimina adversarii iisque responderet. Qua de re certe nihil cogitandum est.

Sed in eo quoque Kritzius magnopere errat, quod praepositionem ante relativum cogitatione repeti debere contendit, atque in hanc rem confirmandam convenire existimat Vell. I, 7, 1, ubi legitur: „qui vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret“. Si lectio, quam Kritzius tuetur, vera esset Velleji manus, sine ullo dubio ante quo praepositio **a** scripta legeretur. Locum illum Vell. I, 7, 1 longe alium esse atque hunc, apparet. Ita, ut Vell. I, 7, 1, aliis quoque locis scriptum reperitur, ut Nep. Cim. III, 2: „Incidit (i. e. Cimon) in eandem invidiam, quam pater suus.“ Neque quidquam est, cur his locis omissa praepositione offendamur. Quod enim verbum referendum est ad demonstrativum, idem pertinet ad

relativum. Hoc autem loco, in quo tractando versamur, alio spectat demonstrativum, alio relativum.

Neque dubium est, quin scriptor non voluerit dicere, quod existimat Kritzius, sc. neutrum criminibus, quibus adversarium petierit, id quidem addere potuisse, eum mentitum esse. (Ita enim lectio, quam Kritzius in textu expressit, explicanda est.) Sed id Vellejus docere videtur, neutrum ad ea, quae arguerit alter, jure respondere potuisse, adversarium esse mentitum. Itaque equidem verba, ut codex exhibet, quod arguebatur, ferri posse non puto, sed mutanda censeo in quod arguebat ut, quod jam propositum est ab Acidalio et Heinsio; atque, ut omnes concedent, facillima mutatione e codicis scriptura fingitur.[1]) Acidalius quidem ut illud non, quod equidem volo, ad mentitus verbum retulit, sed conjunctionem esse voluit, ex qua penderet posset conjunctivus; hoc ex eo intellegi potest, quod voces antecedentes ab eo mutandas censuit in adeo. Sed ut taceam de structura dura et contorta, quae sic efficitur, sine dubio Vellejus noluit tale dicere, quale ad gradum respicit, in quem uterque crimina perduxerit; sed ad haec ipsa crimina spectat scriptor, iisque jure utrumque ab altero petitum esse docet. Heinsius autem, si eo ad insequens quod referri vult, in eo errat, quod Vellejum ipso arguendo utrumque mentitum esse dicere existimat. Si vero cum mentitus voce conjungi vult, equidem ei assentiendum esse judico, neque cum Ortuino faciendum censeo, qui, ceterum ut Ed. Basil. quo arguebatur scribens, ab in in mutavit. Nam multo facilius ab inscitia librarii in textum irrepere potuit, quam in cum ab confundi.

Ceterum, quod ad structuram ut mentitus argui attinet, cf. Suet. Ner. 7: „Britannicum fratrem ut subditivum... arguere conatus est.“ Justin. 22, 3: „Hunc ut dominum et tyrannum, illum ut proditorem arguentes.“

---

[1]) De r cum t confuso cf. Kritz. Prolegg. c. III. p. XCI.

Ut de aliorum in hac re sententiis pauca loquar, Ruhnkenius ad sententiam quidem bene, sed, quod ad scripturam attinet, audacius scripsit ab eo, quem arguebat. Idem fecit Burmannus, scribi jubens ab altero, quod arguebat. Gruterum, qui, obsequente Bothio, non multum dissentiente Ruhnkenio, verba ab eo quod arguebatur ut glossema delenda censet, recte cogitasse certe nemo concedet. Quamquam enim hae voces haud plane necessariae sunt ad sententiam efferendam, tamen tantum abest, ut eam perturbent, ut eam magnopere illustrent. Ceterorum sententiae, ut Schefferi, qui[1]) scribendum censet ab eo, a quo id arguebatur, Friebelii, cui[2]) visum est scribere adeo, quo de arguebat alterum, Schoepferi, qui[3]) Ed. pr. lectionem tuetur, tantummodo insolita collocatione quod pronominis, in constructione ante ab eo ponendi, obscuriorem esse dicens, ejusmodi sunt, ut quae verbis refellantur haud dignae esse videantur.

II, 33, 3:

„Nam neque Pompejus, ut primum ad rempublicam aggressus est, quemquam animo parem tulit, et in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat."

Pro animo parem Acidalius scribendum conjecit omnino parem. Sed sententia sine dubio non ejusmodi est, ut scriptori paris verbum majore vi fuerit efferendum, ut fit omnino voce apposita, quae in tali verborum collocatione ad parem tantummodo referri potest. Hoc certe Vellejus vult dicere, Pompejum quavis ratione impedire esse solitum, ne quis sibi auctoritate et potentia par esset. Itaque haud ferri posse videtur, quod vult Heinsius, qui, scriptura codicis

[1]) In Obss. Misc. Voll. VIII. p. 459.

[2]) In Graec. Satyrogr. Fr. p. 148.

[3]) In Adnott. critt. p. 24.

servata, animo cum tulit conjungit. Ruhnkenius ad sententiam haud male, sed neque necessaria et difficillima conjectura usus **magnitudine** parem scripsit. Kritzius vulgatam sanam esse contendens sic explicat et defendit: „Quemquam animo **parem**“, inquit, „dictum est pro quemquam animo **pari**, quem morem adjectivi, ad praedicatum pertinentis, cum subjecti vel objecti nomine conjungendi uberius illustravimus ad Sall. Cat. c. LIII, 6. p. 286 et ad Jug. c. LXIII, 7. p. 344. cf. supra II, 11, 1: „Marius fuit vita sanctus“, II, 34, 3: „Cicero ut vita clarus, ita ingenio maximus.““ Id quidem verum est, exempla talis structurae saepissime inveniri, sed certe mira ratione Pompejus a Vellejo non tulisse **animo** sibi parem diceretur, ubi exspectaveris ad potentiam respici et auctoritatem, praesertim quum in antecedentibus Lucullus Pompejo interminatam imperii cupiditatem jure objecisse dicatur.

Forsitan tum vera Velleji manus restituitur, si scribimus quemquam animantem, qua scriptura id quidem efficitur, quod scriptor hoc loco dicere velle videtur; si enim Pompejus haud quemquam animantem parem tulisse dicitur, quavis ratione dicitur impedire solitus, ne quis sibi par esset. Quod autem ad loquendi usum attinet, cf. Hor. sat. II, 1, 40: „Hic stilus haud petet ultro quemquam animantem.“

In insequentibus nonnulli offensi sunt voce debebat. E quibus pari fere sententia ac Lipsius, qui scribendum conjecit havebat, Gruterus codicis scripturam mutandam censuit in cupiebat; sed utraque conjectura sensu valde laborat. Scriptorem enim hoc dicere velle apparet: „Pompejus nullum sibi parem tulit, ne in iis quidem rebus, ubi dignus non erat, qui primum locum obtineret; ubi autem hoc dignus erat loco, solus esse cupiebat.“ Neque bene Ruhnkenius vulgatam mutandam esse censuit in primum esse decebat; decet enim eandem habet significationem quam nostrum es ziert, steht wohl an, cujus sententiae verbum

hoc loco non quadrare in plano est. Ceterum Ruhnkenius eo ad hanc conjecturam faciendam adductus esse videtur, quod vocem ejusdem sententiae ac nostrum sollen vel müssen haud aptam judicavit. Et profecto, si debere hanc tantummodo haberet significationem, haud posset ferri; sed ita quoque scriptum invenitur, ut sententiam habeat dürfen, angemessen sein, cf. Liv. XXIV, 25: nullam earum vivere debere.[1]) Hoc eodem sensu debebat hic a Vellejo positum est, ita, ut optimo jure Kritzius, qui vulgatam in textum recepit, ejus sensum hunc esse dicat: in quibus rebus **summus jure meritoque erat.**

II, 39, 1:

„Sed fulgentissimum C. Caesaris opus in iis (i. e. in Galliis) conspicitur, quippe ejus ductu auspiciisque infractae plane idem, quod totus terrarum orbis, ingratum conferunt stipendium.“

Ed. pr. et Amerb. pro infractae plane lectionem exhibent infractae paene, et infra pro ingratum exhibent ignavum. Et paene, et ignavi voce multi offensi sunt, et mutatione opus esse censuerunt. Ut primum de paene, ut codex exhibet, verbo exponam, mutatio ejus in plane, quam Kritzius probat, debetur Grunero, cujus sententiae praeter Kritzium Laurentius[2]) quoque et Burmannus assentiunt, quamquam hic etiam tentavit infractae **penitus** idem, vel **plene** infractae idem. Ut scripturam codicis paene ferri non posse ostendat, Kritzius sic exponit: „Jam si conjungis“, inquit, „infractae paene, sententia erit inepta (nam infractus est vehementer fractus); sin paene refers ad idem, supra modum falsa.“ Hoc alte-

[1]) Cf. Liv. XXXVII, 6; III, 46 extr.

[2]) In Loc. Vell. p. 35.

rum quidem verum est. Nam ne quis putet, idem dictum esse de magnitudine aeris, quod Gallis ceterisque populis imperio Romanorum subjectis quotannis fuerit exsolvendum; sed dedecus, quod ex stipendio hoc conferendo natum sit, Gallis idem fuisse dicit scriptor ac ceteris civitatibus stipendiariis. Nullo autem modo verum est, quod in priore explicationis illius parte contendit Kritzius, infractus idem esse quod vehementer fractus. Tantum abest, ut infringere fortiorem significationis vim habeat quam frangere, ut contra, id quod natura vocis fert, mitiore significatione saepius scriptum reperiatur. Cf. Klotz, Handwörterbuch der Lat. Sprache, sub voce infringere. Quamquam hoc quidem loco infractae non eandem sententiam habere videtur, quam nostrum beugen, vel schwächen, sed idem esse ac fractae, i. e. gebrochen. Quare autem, infractae verbo talem sensum habente, infractae et paene vocibus offendamur conjunctis, mea quidem sententia non habemus. Nam neque verborum ordo insolitus est[1]), neque mirandum videtur, quod scriptor paene voce apponenda infractae verbi significationem quodammodo mitiorem reddere voluit. Infringere enim vel frangere multo fortius quam vincere de civitate debellata dicitur, neque hoc solum, sed id quoque magnopere respiciendum est, quod Galliae nullo tempore plane sunt fractae, ut apparet ex Vell. II, 129, 3: „Quantae molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro Floroque Julio, mira celeritate ac virtute (Tiberius) compressit....“ Si enim Galliae a Caesare plane essent fractae, certe Augusto imperante non tam grave bellum commovere potuissent.

Atque ne quod ad ignavum attinet quidem scriptura codicis mutanda videtur, quamquam permulti VV. DD. ignavi verbum retineri non posse censuerunt, et magno conjectura-

[1]) Cf. Cic. fin. I, 2, 4: „Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est.“

rum numero hic locus tentatus est. Ut harum nonnullas afferam, Aldus Nepos scribendum conjecit in aerarium, et pari fere conjectura usus qua Lipsius, cui in annos legendum visum est, Heinsius scripsit in annum. Quorum nullum in rectum incidisse certe omnes mihi concedent; ut enim jam supra aliqua ex parte exposuimus, hujus loci natura talis est, ut id tantummodo respiciatur, quantum Romanis gloriae et decoris, Gallis dedecoris ex hoc bello a Caesare gesto natum sit. Quare, quae Aldo Nepoti, Lipsio, Heinsio scribenda visa sunt, pro hujus loci natura quam maximopere laborant jejunitate, ut taceam, has omnes conjecturas nimium a codicis scriptura recedere, neque quidquam afferre novi.

Neque probandum videtur, quod Laurentio auctore Kritzius in textu expressit, sc. ingratum. Ut enim Alsters. Quaestt. Vell. p. 47. optimo jure dicit, Vellejus sine dubio graviore verbo esset usus. Quod Popma scribi jubet signatum non dignum esse quod uno verbo attingatur apparet, et pari modo dubitari non potest, quin nullo jure Abrahamus [1]) scribendum conjecerit ignarum.

Ut autem de ipsa lectione vulgata ignavum agamus, mea quidem sententia nihil est, cur haud omnino placeat. Hoc quidem Vellejus sine dubio non vult dicere, quod putant Krausius et Walchius [2]), qui hanc eandem codicis scripturam censent retinendam, sc. Gallos a Caesare subactos imbelles atque ignavos factos esse, cum libertate amissa simul ejus recuperandae studio abjecto: si sic tantummodo ignavum posset defendi, retineri nequiret. Gallos enim nullo tempore studium sese in libertatem vindicandi non habuisse ex ipso Vellejo apparet, II, 129, 3, quem locum jam supra attulimus. Sed, quia stipendium conferri non solebat, nisi a populis ignavis, ita, ut ignaviam quasi testaretur, ipsum di-

---

[1]) ad Cic. p. Coel. c. 2.

[2]) ad Tacit. Agric. 12, p. 198.

citur ignavum summo jure etiam iis locis, ubi de gentibus quidem haud ignavis dicitur. Deinde autem Galli, siquidem cum Romanis comparantur, quodammodo jure dicuntur ignavi: quippe, ut bello devicti, virtute ab iis superati sint.

Si quis autem his quidem non adduci possit, ut scripturam codicis retinendam censeat: hic, aliam viam ingressus, ignavum intellegat per ignavum reddens, qua sententia, sc. causativa, ut vocant grammatici, saepius positum reperitur. Cf. Cic. fat. XII, 28: „Recte genus hoc interrogationis ignavum et iners nominatum est." Virg. G. I, 129: „Hiems ignava colono." Tributo autem conferendo tempore ignaviam nasci solere, in hoc ut addubitetur fieri non posse existimo.

II, 46, 1:

„Cum deinde immanis res, vix multis voluminibus explicandas, C. Caesar in Gallia ageret, nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis innumerabilibusque caesis et captis hostium milibus etiam in Britanniam trajecisset exercitum, alterum paene imperio nostro ac suo quaerens orbem, junctum par consulum, Cn. Pompejus et M. Crassus, alterum iniere consulatum, qui neque petitus honeste ab iis, neque probabiliter gestus est."

Pro junctum par consulum, ut editio exhibet Kritziana, Ed. pr. atque Amerb. lectionem praestant victus pars consulum, cui ulceri alii aliunde medicina petenda visa est. Scripturae, quam Kritzius in textu expressit, auctor est Orellius, quem ita simplicissime hunc locum in integrum restituisse contendit Kritzius. „Junctum", inquit, „compendio hoc scriptum **inctû**, quam paene idem sit cum voce uictus per se patet; par autem, sive ea vox falsa constructione, sive alia de causa in pars abiit, certissima est correctio, jam a Rhenano facta, ac paene nulli non probata." Id quidem verum est, hanc conjecturam haud difficili codicis scripturae mutatione ortam esse: quod autem ad sensum, qui ea

efficitur, attinet, nullo modo probari potest. Ut enim de hoc taceam, quod ita ratione valde miranda Pompejus et Crassus, quamquam quindecim annis ante, a. Chr. n. 70, consulatus honore sociati, **junctum** par consulum dicerentur, consules eos dicere scriptori nullo jure licuit, qui per quindecim annos inde ab eo, de quo hoc loco agitur, consulatui non praefuerant. Deinde, si Vellejus dicere vellet, quod existimat Kritzius, certe alia oratione uteretur, neque verbis cum re tam male cohaerentibus loqueretur. Quo enim modo voces junctum par consulum accipiendae sint, ex ipsis nihil patet. Neque intellegitur, quid habuerit scriptor, cur ad hanc consulatus societatem attingendam adduceretur, praesertim quum societatem illam attigerit paene necesse sit, quam Pompejus et Crassus cum Caesare ad summam rerum capessendam inierant. Ceterum, quamquam plerique eorum, qui in hoc loco sanando versati sunt, par consulum scribendum esse censuerunt [1]), nonnullis aliunde medicina petenda visa est. Eorum Schefferus conjecit victis patribus conscriptis, Haasius victis partibus consulum, sc. superioris anni, Laurentius virtute pariter et consilio, quae verba antecedentibus ad Caesarem laude ferendum addi vult; Froehlichius exercitum **ac**, alterum paene imp. nostro ac suo quaer. orbem, **vicisset ex parte insulam**, Cn. Pompejus etc. In quibus conjecturis, ut mihi videtur, nulla est, quin et mutationis difficultate, et sensus pravitate magnopere laboret; neque ulla digna videtur, ad quam refellendam de singulis ejus verbis longius disputetur.

Ad veram Velleji manum restituendam mea quidem sententia necesse est cogitetur de societate, qua Caesar, Pompejus, Crassus potentiae studio inter se conjuncti erant, quod

---

[1]) Rhenanus scribendum conjecit invictum, Ursinus vetus, Acidalius invisum vel invinctum, Vossius vinctum, Ruhnkenius unicum, Ludorphius unctum — par consulum.

jam supra quodammodo attigi. Haec autem sententia mihi orta est praecipue ex eo, quod in antecedentibus scriptor multa affert de ipsius Caesaris opum amplificandarum cupiditate. Neque ita difficili mutatione opus est, ut verba hanc sententiam efficientia e codicis scriptura eruantur, sc. verba juncti paribus consiliis, i. e. ac Caesar. In haec igitur verba codicis scriptura mutata, hic locus in integrum restitutus mihi videtur.

II, 49, 3:

„Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia; Pompejum senatus auctoritas, Caesarem militum armavit fiducia. Consules senatusque causae, non Pompejo, summam imperi detulerunt.“

Voces consules.... detulerunt, quas lectionem codicis secutus Kritzius in textum recepit, retineri non posse certe neminem fugiet, quidquid contra dicit Kritzius, qui ipse quidem iis, quae affert ad codicis scripturam defendendam, hoc addit, Vellejum ita scribendo haud multum abfuisse ab ineptiis. Kritzius igitur verborum sensum hunc esse vult: Consules senatusque Pompejo propter causam (quia Pompeji partes non diversae videbantur a republica ipsa, v. II, 48, 4.), non propter **ipsum** summam imperii detulerunt. Quae explicatio, praeterea quod per se est inepta (quum enim Pompeji partes non diversae essent a republica ipsa, scriptori imperium propter **ipsum** quidem ei delatum esse dicendum erat) eo quoque laborat, quod Kritzius lectionem codicis talia complecti vult, qualia nullo modo cum verbis ejus cohaerent. Docetur enim, non quam ob causam Pompejo imperium delatum sit, sed nihil aliud, nisi cui summa ejus sit data. Verba autem, quibus non Pompejo, sed causae imperium datum esse dicitur, ineptias tantummodo continere certe nemo est, quin concedat. Male autem Kritzius hoc addit, melius eandem sententiam scriptorem adhibere supra II, 30, 3,

ubi legitur: „Familiare est hominibus invidiam rerum non ad causam, sed ad personam dirigere.“ Nam primum hic alter locus sententiam complectitur omnibus communem neque addubitatam, deinde, ut Kritzius quidem vult, hoc nostro loco causa, ex qua aliquid sit factum, non in persona, sed in re (causa) posita esse dicitur, quum altero homines ad personam, non ad rem spectare dicantur.

Apparet igitur, lectionem vulgatam retineri non posse. Quod etiam nonnullis aliis, qui Velleji scriptis emendandis operam navarunt, visum est, ita ut ad conjecturas faciendas adducerentur, inter quas nulla quidem est, cui assentire queam. Ut singulas earum percurramus, Lipsius scribendum conjecit **causa nominis** Pompejo, quae scriptura, ne dicam causâ ablativum, ubi praepositionis instar positus reperitur, post genitivum, ad quem attinet, scriptum inveniri solere, sensu magnopere laborat. Non enim intellegitur, cur ejusmodi sententia digna sit, quae a scriptore textui inseratur, ut alia, quae sic scribi vetare videntur, omittam. Idem valet de Gronovii conjectura causae **nomine** Pompejo. Aliam viam ingressi sunt Handius et Bothius, quorum ille post non unum vel plura verba excidisse censet, quum, quantum ad hunc attinet, tantum absit, ut nonnulla excidisse existimet, ut verba consules — detulerunt ut „panum male cohaerentem“ ejicienda censeat.

Mihi, ut hic locus quodammodo quidem possit sanari, ante omnia id respiciendum videtur, quod scriptor et in antecedentibus et in insequentibus Caesarem cum Pompejo comparans quae inter unum et alterum interfuerint docet. Ut autem in præeuntibus de utroque exponit, qualis fuerit causa, deinde quid Caesarem armaverit, quid Pompejum, ita hoc loco docere velle videtur, quis ad hunc, quis ad illum imperium detulerit. Itaque verbum scriptum fuerit necesse est, quod consules senatusque vocibus quodammodo sit oppositum, et causae vocem, id quod mutatione fit facillima, in Caesari mutemus. Ex non autem haud difficulter nomen scriptura

eruitur, quod verbum multis locis eadem sententia qua claritas scriptum invenitur; claritatis autem vocem perbene hoc loco quadrare existimo, quo scriptor, cum Pompejo comparans, quam excellens Caesar fuerit docere vult. Quibus mutationibus factis, transpositisque vocibus Caesari nomen ante consules etc., scriptura mea sententia sanissima exstat.

II, 51, 1 et 2:

„Proximo anno, cum Dyrrhachium ac vicina ei urbi regio castris Pompeji obtineretur, qui accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regum atque tetrarcharum simulque dynastarum copiis immanem exercitum confecerat..., sua et celeritate et fortuna C. Caesar usus nihil in mora habuit, quominus eo, cum vellet, ipse exercitusque classibus perveniret."

Ed. pr. et Burer. exhibent Pompej**o** **re**tin**e**tur, sed, ut Burerius testatur, in hac scriptura **o** puncto deletili est notatum. Hanc litteram mendo in textum irrepsisse eo quoque apparet, quod Amerbachius scripsit Pompe**i** retinetur. Quod ad retinetur, ut traditum est, attinet, haud dubium esse potest, quin indicativus praesentis vitiosus sit et conjunctivus imperfecti scribi debeat. Exstat autem diversitas sententiarum, quid sit scribendum, utrum teneretur, an retineretur, an obtineretur. Ed. Basil. teneretur vult, eumque secutus est Ruhnkenius. Sed Kritzius eum sic ad sensum tantummodo bene emendasse dicit, veram Velleji manum restitutam esse contendens ab Orellio, scribendo Pompei obtineretur; nam ita demum intellegi, **o** litera priori vocabulo adhaerescente, quomodo utriusque vocis corruptela orta sit. Sed de hoc certe addubitari potest, neque tale est, quod magnum in hac re tractanda habeat momentum. Quod autem Kritzius addit, praeterea obtinere verbum magis in tali re usitatum esse, hoc nullo modo verum est. Quamquam enim obtinere nonnullis locis, ut Caes.

B. G. VII, 19 ita scriptum invenitur, ut obtinere aliquem locum nihil aliud sit nisi esse aliquo loco, qua de causa nihil obstat, quin hoc nostro loco ferri possit, tamen plerumque tali sententia positum reperitur, ut Germanice vertendum sit per sich im Besitze einer Sache behaupten. Quod testantur omnes ii loci, quos sententiam suam confirmare existimat Kritzius, ut Vell. II, 55, 1: „Sequens fortunam suam Caesar pervectus in Africam, quam... Pompejani obtinebant exercitus.“ Cf. etiam Vell. II, 43, 1; II, 78, 3. At tenere nihil aliud est nisi quod nos dicimus inne haben, quo sensu apud Caesarem sexcenties scriptum est. Sed externa quoque codicis scripturae auctoritate obtinendi verbum non commendatur. Patet facillime fieri potuisse, ut librarius Pompejo dativum scriberet pro Pompei genitivo; unde autem **b** litera supplenda sit et cum qua litera confusa e textu recesserit, haud pari modo in aperto est.

Restat ut de **re**tineretur dicamus, quod scribi vult Alsters. Quaestt. Vell. p. 54. Num facilius fieri potuerit, ut re omnino excideret librarii negligentia, quam ut loco suo moveretur atque initio scriberetur, hoc decerni non potest, quum neutrius generis vitia in Velleji codice non saepius inveniantur. Sed, ut obtinere plerumque, ita retinere omnino significat sich im Besitz behaupten, ita ut sententia voci remittere plane sit oppositum. Neque alio sensu scriptum est Flor. II, 30, 3: „Adita igitur hereditate (Attali) provinciam populus Romanus non quidem bello nec armis, sed, quod est aequius, testamenti jure retinebat“, quo loco **re**tinere eodem sensu quo **ob**tinere scriptum esse eo consilio dicit Alstersius l. l., ut retinendi vocem hoc loco ferri posse demonstret. At hoc loco verbum talis sententiae scriptum sit necesse esse, quae cum hac retinendi et obtinendi nihil habeat communis satis ostendisse mihi videor. Quibus ex causis equidem cum Ed. Basil. facio, et scribendum censeo Pompei teneretur.

In insequentibus equidem valde offendor vocibus quominus eo, cum vellet, ut Kritzius Vossium secutus in textum recepit, una litera scripturae codicis et cum vellet mutata, quod probat Laurentius Loc. Vell. p. 50. Quid sibi velit eo cum vellet, aut et quo vellet, quod Acidalius scribendum conjecit, equidem non intellego. Quo enim Caesar legiones transmittere voluerit inter omnes constat, neque quidquam interest, ut tempus trajiciendi a scriptore attingatur, quod Kritzius vult scribendo cum vellet. Hoc quidem certum est, quum Vellejus animum nostrum eo advertere velit, quod Caesar **per**venit i. e. per praesidia classium, quibus mare septum rebatur Pompejus, neque cum vellet neque quo vellet voces quadrare, quippe animum quodammodo a re summopere spectanda distrahant.

Omnino igitur mutandae videntur voces et cum vellet, ut codex exhibet. Apparet autem, hac in re ita agendum esse, ut ea tantummodo verba scribantur, quae cum sententia generali bene cohaereant, efficiantque, ut etiam magis illustretur. Quibus satisfacere mihi videntur verba mutatione haud ita difficili orta eum fallens, sc. Pompejum, quae equidem propono ut legantur. Quum enim Pompejus mare navibus suis ita septum existimarit, ut nulla adversarii navis in Graeciam posset trajici, nihilominus autem Caesar naves illas custodes effugiens ad castra Pompeji pervenerit, suo jure eum fefellisse dicitur.

II, 54, 2:

„Nusquam erat Pompejus corpore, adhuc ubique vivebat nomine; quippe ingens partium ejus favor bellum excitaverat Africum, quod ciebat rex Juba et Scipio, vir consularis, ante biennium, quam exstingueretur Pompejus, lectus ab eo socer.“

Ed. pr. et Amerb. exhibent ubique **Jubae** nomine. Conjecturarum, quae ad medelam huic ulceri adhibendam

sunt factae, Kritzius palmarem judicat Heinsii, scribi jubentis pro Jubae vivebat, quippe sit non solum sensus prorsus egregius, sed etiam mutatio facillima et minime dubia. Quod ad scripturam attinet, haud minus facile fieri potuit, ut Jubae verbum propter similitudinem cum antecedenti ubique in textum illaberetur quam ut confunderetur cum vivebat voce. Sed quantum ad sensum spectat, mihi quidem ponderanti utramque lectionem, et ubique nomine, et ubique vivebat nomine, illa magnopere praeferenda videtur, cujus auctor exstitit Ed. Basil. Quod enim ad sententiam suam probandam addit Kritzius, similiter Vellejum locutum esse infra de Cicerone II, 66, 5: „Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam", nullo modo verum est, quum hoc altero loco Cicero nullo tempore mortuus futurus dicatur, ita ut vivit oppositum sit mortuus est. Alius hic noster locus est, quo vivebat vocem non quadrare certe neminem fugiet, quippe scriptor non nisi verba nusquam — ubique, corpore — nomine inter se opposita esse velit.

II, 59, 1:

„Caesaris deinde testamentum apertum est, quo C. Octavium, nepotem sororis suae Juliae, adoptabat. De cujus origine, etiamsi praenitet, pauca dicenda sunt."

Pro etiamsi praenitet, ut editio exhibet Kritziana, Ed. pr. et Amerb. lectionem praestant etiamsi **praevenit**, et. Ut veram Velleji manum ex hac scriptura eruerent, magnus VV. DD. numerus operam dederunt, plurimaeque exstant conjecturae inter se valde diversae. Scriptura etiamsi praenitet debetur Heinsio; Kritzius eam ingeniosam et certissimam hujus loci emendationem vocat. „De ea", inquit, „non dubitassent editores, si quomodo orta esset scriptura cod. Murb. perspexissent. Quippe **et** syllaba avulsa, quod saepius factum esse ostendimus in Prolegg. c. III. p. C. sqq., praenit, id quod fieri paene necesse fuit, habitum est pro

compendio verbi praevenit, v. Prolegg. p. C." De facilitate hujus conjecturae certe nemo dubitabit; sed quod ad sensum attinet, mea quidem sententia nullo modo probari potest. Ne enim dicam quam paene inepte scriptor secundum hanc lectionem diceret C. Octavii originem praenituisse quidem, sed tamen pauca de ea esse dicenda: quum in insequentibus Vellejus non solum de Octavii origine, sed etiam, et quidem praecipue, de ejus virtutibus loquatur rebusque gestis, nullo modo talibus verbis ut inducentibus uti ei licuit. Non minus autem, quam Kritzii scripturam ferri non posse, ex vocibus insequentibus apparet, quomodo codicis lectio sit mutanda, ut vera Velleji manus restituatur; in quod nullus quidem eorum incidit, qui huic loco sanando operam dederunt. Sine dubio scriptor hoc vult dicere: De origine hujus viri, ejusque virtutibus rebusque gestis pauca, i. e. nonnulla, dicenda sunt. Verba autem cum hoc sensu cohaerentia haud difficulter e codicis scriptura erui possunt, sc. vocibus etiamsi praevenit in et quam ipse praenituerit mutandis. Quantum ad singulas hujus scripturae partes attinet, apparet et quam et etiam haud ita difficulter inter se confundi potuisse; neque minus facile fieri potuit, ut verbi ipse litera **s** suo loco moveretur et ante **i** scriberetur; ita ut **e** litera apposita, ipse quoque vox in codicis scriptura reperiatur. Hoc eodem modo, sc. nonnullis literis trajiciendis, praenituerit quoque verbum efficitur ex praeuenit; praenitue enim reperto, haud dubium esse potest, quin rit literae exciderint propter similitudinem cum nit literis; quod ut concedas eo magis adduceris, quod ut concedas eo magis adduceris, quod in codicis praeuenit vocis scriptura trajectio illa exstat literarum.

II, 59, 6:

„Cui adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia, et cum intraret urbem, solis orbis, super caput ejus

curvatus aequaliter rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est."

In lectione vulgata, quam sanissimam esse judicat Kritzius, equidem nonnullis offendor adducorque, ut ipse hunc locum varie tentatum vexatumque adeam. Primum, faciens cum Haasio, qui in Ephemm. Litt. Hall. a. 1837. Vol. II. No. 102. p. 205, de hoc loco exposuit, non existimo, verba solis orbis eodem modo intellegenda esse quo orbis sive circulus **circum** solem. Quamquam enim grammatica nihil vetat haec verba ita accipi, et locus reperitur apud Livium, sc. XXX, 2, 12: „Frusinone arcus solem tenui linea amplexus est; circulum deinde ipsum major solis orbis extrinsecus inclusit", ubi ea aliter intellegi non posse apparet, hujus loci natura cum tali explicatione minime cohaeret. Dicitur enim orbis solis (velut) coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus esse: hoc autem de circulo circum solem, quippe qui nullo modo pro imponenti haberi queat, dici non posse, quis est quin concedat? Sed etiam altera est causa, ob quam in solis orbis vocibus explicandis Kritzium sequi non licet. Nam quid sibi vellent **super caput** ejus verba, si de orbe solem undique amplectenti loqueretur scriptor? Quid esset, cur recte Vellejus imaginem similitudinemque coronae ita effectam esse diceret?

Elucet autem, quum res tali modo se habeat, ne insequentia verba quidem, ut editio exhibet Kritziana, ferri posse. Quae equidem mutatione facillima in integrum restitui posse puto, sc. scribendo pro ejus vocem gerens (quae ut efficiatur una tantummodo litera **g** praefigatur necesse est; nam eius ab erens scriptura paene nihil distat), atque pro curvat**us**... arc**us** curvat**um**... arc**um.**

Deinde autem voces rotundatusque in colorem haud retinendae videntur. Ne enim dicam, rotundatus, quippe rotundus congruat cum nostro scheibenrund, hoc loco non quadrare: rotundatus(que) in colorem certe nullo

modo ferri potest, quia de similitudine nihil cogitari potest formae cum colore. Dubito an vera Velleji manus restituatur has voces mutando in radiatusque coloribus, quae mutatio facilis quidem non est, sed sensum mea quidem sententia valde probandum efficit.[1])

II, 62, 3:

„Quippe M. Brutus et C. Cassius, nunc metuentes arma Antoni, nunc ad augendam ejus invidiam simulantes se metuere, testati edictis libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum respublica constaret concordia, nec ullam belli civilis praebituros materiam, plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui, profecti urbe atque Italia, intento ac pari animo, sine auctoritate publica provincias exercitusque occupaverant.“

Vulgatam intento ac pari animo Kritzius recepit quidem in textum, sed alia utitur verborum interpretatione ac Krausius et Orellius, qui eandem censent retinendam. Explicat enim, pari voce ad Brutum et Cassium relata, per intento **et quidem pari inter se** animo, quum Krausius sensum hunc esse velit: pariter **intento** animo, sc. ad occupandas provincias, Orellius autem ad pari intellegat incepto suo. Sed mea sententia, id quod etiam non-

[1]) Arcus, quod habet pro genitivo ad colorem pertinenti, Kritzius simpliciter dici contendit pro arcu coelesti sive iride, coll. Cic. de Nat. D. III, 20, 51; Liv. l. l. et XLI, 21, 12. Hanc significationem ab arcus voce alienam quidem non esse negari nequit; sed quantum ad hunc nostrum locum attinet, arcus vox ita intellegi non potest, ne secundum lectionem Kritzianam quidem. Quum enim iris ex omnibus fere coloribus constet, in colorem arcus sine dubio dici non potest ea, quam vult Kritzius, sententia.

Caput vocem ad solem spectare apparet. Ad Caesarem eam referri non posse in plano est, sole tam magno intervallo a terra distante, ut circulus circum eum super caput singuli hominis esse certe nequeat dici.

nullis aliis est visum, verba scripturae codicis sunt mutanda; quamquam nulli earum quidem, quae factae sunt, conjecturarum assentior. Ut singuli quid scribendum censuerint percurram, Bothius scribi vult intento **ad paria** animo, in quod etiam incidit Friebelius in Gr. Satyrogr. Fr. p. 150, quum Burmannus ad Sueton. Caes. c. 65 conjecerit intento ac **parato** animo, cum qua conjectura congruit quod Lipsius in margine libri sui, qui est in Bibl. Leid., adscripsit. Quum expressis verbis dicere, quibus in his conjecturis rationibusque vulgatae lectionis interpretandae offendar, non videatur, quia haec quodammodo continentur iis, quae ad meam ipsius sententiam defendendam afferam, de iis jam exponam, quae naturam hujus loci sibi exposcere puto.

Mea quidem sententia ad veram Velleji manum restituendam necesse est respiciatur, quod in antecedentibus scriptor Brutum et Cassium se nullam belli civilis causam praebituros professos esse dicit, in insequentibus autem docet, eos bello civili parando omni modo operam dedisse. Haec igitur verba, in quibus dijudicandis versamur, quippe in medio posita, necesse est sententiam complectantur, qua praecedentia cum insequentibus conjungantur, et quasi medius gradus, praebens transitum, efficiatur. Est autem mutatione haud ita difficili opus, ut verba sensum ejusmodi praestantia nascantur, sc. verba intento ad alia animo. Ut singulas hujus scripturae, quatenus mutando orta est, partes attingamus, acp literae ut cum ad confunderentur fieri potuisse mea sententia eo elucet, quod Vell. II, 110, 4. effu**d**erat in codice scriptum reperitur pro effu**g**erat, II, 94, 1. autem **t**rimo pro **p**rimo codex exhibet. Atque etiam alia afferri possunt exempla caudae deorsum protrahendae sursum erectae, neque minus e contrario peccatum reperitur. ari autem, quod codicem exhibere puto pro alia, altero **a** eo facile privari potuit, quod insequens verbum ab hac eadem litera incipit; de **r** autem cum **l** confuso cf. II, 95, 2., quo loco codicis scriptura mo**l**em in mo**r**em mutanda est. Scrip-

torem igitur dicere volo, Brutum et Cassium animum ad alia intentum habentes urbe atque Italia profectos esse, quam quibus se studere antea erant professi.

II, 68, 1 et 2:

„Dum in acie Pharsalica acri eaque de summa rerum Caesar dimicat, M. Coelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam, cum ne modica quidem solvere posset (quippe pejor illi res familiaris quam mens erat) in praetura novarum tabularum auctor extitit.“

Ed. pr. et Amerb. exhibent hujus capitis initio acie Pharsalica **Africaque**, in quibus Africaque verbum prorsus ineptum esse neque ullo pacto tolerari posse recte dicit Kritzius. Sic enim non solum vocabula notionis prorsus diversae conjungerentur, sed etiam historiae fides ita scribi vetat. Ut enim de hoc taceam, quod ne bellum Alexandrinum quidem, de quo solo hoc loco cogitari potest, quamquam haud multo post pugnam Pharsalicum conflatum est, satis convenit, quod ad tempus attinet: nulla acie, nisi Pharsalica, Caesar de summa rerum dimicasse dici potest. Itaque Africaque foedissima depravatio judicanda est. Conjecturarum, quae ad hunc locum sanandum factae sunt, Kritzius Jeepii in textum recepit, scribi jubentis dum in acie Pharsalica acri eaque. In qua scriptura mihi quidem primo haud placet acri adjectivum. Quum enim Vellejus pugnae Pharsalicae ea tantummodo ex causa mentionem faciat, ut nos certiores faciat de tempore, quo M. Coelius in praetura novarum tabularum auctor exstiterit, tale attributum, ut vocari solet, haud jure appositum esset. Eaque autem non intellegitur quid sibi velit, neque ulla est causa, cur scriptor oratione tam insolita atque vix ferenda jure sit usus. Laurentius Loc. Vell. p. 69. vulgatam defendit, de Curionis expeditione Africana interpretans. Sed hoc facere non

licet, quia Curio in Africa caesus est, antequam in Epirum Caesar cum exercitu trajiceret, neque ullo modo hoc cum certamine illo de summa rerum conjungi potest. Lipsius mutandam censet vulgatam in acie Phars. **circaque**, probante Ruhnkenio. Sed neque ferri potest tam dura oratio, et pugna Pharsalica omne bellum, in ea regione gestum, finitum est.

Mihi quidem, id quod jam supra quodammodo attigi, Africaque vox omnino expungenda videtur. Quod enim Alsters. Quaestt. Vell. p. 59. proponit, sc. acri atque dura, duobus adjectivis appositis, certe ferri nequit, quum ne unum quidem attributum, ut dicitur, hoc loco quadrare demonstraverimus. Utrum autem Africaque a sciolo textui insertum sit, id quod suspicantur Krausius atque Cludius, an ortum sit ex mala geminatione Pharsalica Alicade, ut Orellius putat, hoc in medio relinquo, quum, ut mihi quidem videtur, utraque sententia habeat, quo commendetur.[1])

Etiam alter in hoc eodem capite locus invenitur, qui haud facilem sanatu praestans codicis scripturam, multorum excitavit ingenia ad sese tentandum, e quibus alii aliunde medicina petenda visa est, sc. locus, qui secundum Kritzii scripturam est cum ne modica quidem solvere posset; exhibent autem Ed. pr. et Amerb. cum **immodica** quidem **servari** posset. Scriptura, quam Kritzius in textu expressit, debetur Laurentio, qui ut sic scriberetur proposuit in Loc. Vell. p. 70. Ostendunt autem, ut mihi quidem videtur, et haec conjectura et ceterae fere omnes, quae ad hunc locum sanandum sunt factae, auctorem omnino non perspexisse, quid hoc loco dicatur necesse sit. Apparet autem Vellejum verbis, in quibus perpendendis versamur, causam afferre velle, quare M. Coelium **ingeniose** nequam

---

[1]) Alsters. p. 59. n. 2. non intellegi existimat, quomodo ex Alicade factum sit Africaque. Equidem puto, facillime fieri potuisse, ut geminatione illa facta, a quodam librario de Africa cogitaretur et Alicade mutaretur in Africaque.

fuisse judicaverit. At tantum abest, ut cum verbis a Kritzio receptis ejusmodi sensus cohaereat, ut haec sententiam longe aliam neque cum antecedentibus insequentibusque congruentem amplectantur. Coelium enim ne modica quidem solvere potuisse nihil aliud docet, nisi eum pauperrimum fuisse, ita ut ne cum nequam quidem voce haec verba jure conjungi possint. Neque minus, quod ad scripturae mutationem attinet, haec conjectura habet, quo offendaris et commovearis ad eam reprobandam, sc. solvere voce, ex servari ficta, quam cum servari vocis litteris haud magnam similitudinem habere ipse profitetur Kritzius. Sed, ut de eo disserere pergamus, quid nobis scribendum videatur, tum scriptor causam, cur M. Coelius ingeniose fuerit nequam, afferret, si eum re ne modica quidem familiari servatum esse diceret. Quod quominus scribatur nullo modo prohibent verba novarum tabularum auctor extitit, quibus iisdem nihil inest, quod ad Kritzii sententiam probandam nos cogat, ut hic ipse contendit haud jure. Coelius enim novis tabulis proponendis id egit, ut ab aere alieno, quod tempore contraxerat, plane liberaretur, quum antea artibus suis id tantummodo effecisset, ut servaretur. Neque obstant verba quippe pejor illi res familiaris quam mens erat; quibus scriptor non, quod vult Kritzius, dicit, rem Coelii familiarem pejorem etiam fuisse, quam mentem, quae fuerit pessima, sed quibus hanc illi opponens M. Coelium opibus quidem parvis, mente autem acutissima praeditum esse perhibet, ita, ut, quod de re tradit familiari M. Coelii, haud pari modo respici velit Vellejus, ac quod ad mentem ejus attinet.

Sed jam restitutus est in integrum hic noster locus, et quidem ab Aldo Nepote, scribente cum ne modica quidem re servari posset, in qua scriptura id quidem sublatum velim, quod re verbum inter quidem et servari scriptum reperitur; quomodo enim inde excidere potuerit, non intellegitur; facile autem fieri potuit, ut im syllaba, cujus importuna ad modica vocem accessione sensus pes-

sime in contrarium detortus in codice reperitur, ex re ne literarum falsa scriptura oriretur. Equidem igitur propono ut legatur: cum re ne modica quidem servari posset.

II, 72, 5:

„Ad quem (i. e. ad Sext. Pompejum) et e Brutianis castris et ex Italia aliisque terrarum partibus, quos praesenti fortuna subduxerat, proscripti confluebant. Quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus.“

Vulgatam nullum habentibus statum Lipsius mutandam censet in nullum (sc. ducem) habentibus statim quilibet etc., quod Alsters. Quaestt. Vell. p. 62. probat. Statum certam vitae condicionem non significare, id quod Halmius et Alstersius contendunt, haud verum esse jam vidimus in tractando loco II, 2, 3. Restat igitur, ut ostendamus, quid Lipsii habeat scriptura, cur ferri non possit. Quin sententia, ut verbis vulgatae continetur, verissima sit, certe dubitari nequit. Jure autem dici quod vult Lipsius, hoc nullo modo in oculos incurrit. Non enim est, cur fieri omnino nequeat, ut nullum ducem habentibus detur eligendi potestas. Deinde, quid sibi velit statim non intellegitur, qua voce apposita quodammodo perturbatur sententia neque simplex remanet. Hoc enim tantummodo Vellejus vult dicere, tali rerum statu non cogitari posse de duce singulari virtute exornato, sed quemlibet esse idoneum; neque ullo modo tempus vult attingere, utrum statim, an temporis spatio intermisso quilibet dux sit idoneus. Atque sine dubio, si Lipsii scriptura cum vera congrueret Velleji manu, in antecedentibus scriptor uno quidem verbo utrumque attingeret, et ducem proscriptis illis non fuisse, et nullo temporis spatio intermisso quemque ad castra Pompeji se contulisse, praesertim quum quippe conjunctione ad hanc sententiam inducendam sit usus.

II, 79, 4:

„Nam et classis eodem loco vexata est tempestate, et ut navali primo proelio apud Mylas ductu Agrippae pugnatum prospere, ita inopinato classis adventu gravis sub ipsius Caesaris oculis circa Tauromenium accepta clades.“

Codex, ut editio exhibet Kritziana, lectionem praestabat classis adventu, adjectivo significante, utrum Caesaris an adversaria fuerit classis, non adjuncto. Quod ferri non posse existimantes nonnulli VV. DD. adjectivum adscribendum esse censuerunt, quo certiores fieremus (id quod attendenti ad rerum nexum dubitari quidem nequit) adversariam dici classem. Ita Heinsius conjecit Pompejanae, vel adversae (quod Ruhnkenius probat), vel inimicae scribendum, quum Halmio legendum videatur adversariae, Graevio hostilis. Kritzius ad sententiam suam comprobandam de familiaris sermonis incuria cogitandum esse dicit, qua sensui supplendum aut eruendum relinquatur, quod alias disertis verbis accurate dictum inveniatur, ad idem genus pertinente, quod cernatur in tacita subjecti mutatione, de qua re conferri vult, quae ipse dixerit ad I, 13, 3 [1]), et Prolegg. c. II. p. LXIV sqq. Sed ex omnibus, quae ab ipso Kritzio hic afferuntur, quam maxime apparet, familiaris sermonis naturam non ita cohaerere cum singula voce neglegenda, quam cum verbis, ex quibus quaeque constat sententia, aliter inter se nectendis struendisque, atque oratione satis cogitata ac perpensa fieri solet. Sed hoc quoque non neglegendum est, quod familiaris iste sermo omnino fere aliquid habet, quod quodammodo placeat et talem orationem commendet. Quorum neutrum in hunc locum quadrat; sed ratione certe ridenda Vel-

---

[1]) Legitur hoc loco: „Neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus.“

lejus hic attributum, ut vocant grammatici, neglexisset, quo classis, de qua hic agitur, a Caesaris, quae initio periodi memoratur, discerneretur.

Certum, quamquam conjecturae in hac re factae, quas supra perlustravimus, omnes tales sunt, quibus perspicuitatem adjuvari dicas, et quae, quantum ad sensum attinet, inter se pares sint judicandae, eam praeferendam esse apparet, cui scripturâ similis vox circum eum locum, unde excidit, scripta reperiatur. Est autem adventu verbum quam maxime scriptura adversae simile. Hac igitur causa commotus, equidem cum Ruhnkenio, adversae vocem ab Heinsio inter alias propositam amplexo, faciendum censeo itaque scribendum, ut legatur: ita inopinato classis **adversae** adventu etc.

II, 84, 2:

„Vigebat in hac parte miles atque imperator, in illa marcebant omnia; hic remiges firmissimi, illic inopia affectissimi; navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa, illa specie terribilior; hinc ad Antoninm nemo, illinc ad Caesarem cotidie aliquis transfugiebat.“

Ed. pr. lectionem praestat navium **haec** magnitudo **modicave** celeritate, adversa illa specie et terribilior; idem exhibet apographum Amerbachianum, eo tantummodo a scriptura ed. pr. distans, quod habet modica**n**e pro modica**v**e, ut Burerius testatur. Scriptura, quam Kritzin textu expressit, maximam partem debetur Heinsio, nisi quod iilâ, pro quo Heinsius scribi vult illac, recipiendo Kritzius Ruhnkenium est secutus. Ut res haud ita magnum momentum habentes, conjecturasque aliorum partim magnopere miras [1]), quarum certe nulla veram Velleji restituit ma-

---

[1]) Ita Burmannus specie **et turribus** terribilior scribendum censet!

num, neglegam, atque ad id tantummodo aggrediar, ut, quae hujus loci natura, ex ceteris periodi partibus cognita, sibi poscere videatur exponam: ceterum omnino, quod de Caesare dicitur, ei, quod de Antonio affert scriptor, multo fortius oppositum invenitur, ac secundum Kritzii scripturam in hac periodi parte fit. Sed hanc offensam haud ita difficulter tolli posse existimo. Tum enim totius hujus periodi naturae satisfieret, si scriptum legeretur navium haec (hac) magnitudo modica **secunda** celeritati, **adversa** (sc. celeritati) illa specie terribilior. Exstant autem, quod ad secunda verbum attinet, si **n**(**u**) cum **s** litera confusum sumseris, primae tres hujus vocis literae, et quidem **c** eo, quod insequens vox ab hac eadem litera incipit. Deinde, si non dubitaveris sumere **u** excidisse propter similitudinem cum **et** literis, **n** quia scriptura haud ita multum distat ab **er**, denique **d** si confusum sumseris cum **it**, facile tibi secunda omnino restituetur.

Ceterum in celeritati frequentissimo scribae lapsu, de quo egit Kritzius in Prolegg. c. III. p. LXXXVIII., **i** confusum est cum **e**; denique **et** post specie conflatum esse ex ultima praecedentis et prima sequentis vocabuli littera, ut recte vidit Kreyssig. Praef. p. XLVI., (qui simul specie scite vindicavit contra inutilem Burerii conjecturam species) certe omnes concedent. [1])

II, 82, 2:

„Victoria vero fuit clementitsima, nec quisquam interemptus est, paucissimi ejecti, qui deprecari quidem pro se non sustinerent.“

In Ed. pr. et Amerb. scriptum reperitur paucissimi **et hi**, quum verbo insequentia ita inveniantur, ut editio

---

[1]) Ad sententtam meam comprobandam fortasse id attinet, quod Cens. in Ephemm. Litt. Gott. proposuit... **immani** c.

exhibet Kritziana. Quod ad paucissimi et hi attinet, quae verba sic ferri non posse apparet, multae conjecturae a VV. DD. sunt factae, rationibusque inter se magnopere diversis hic locus tentatus est. Id, quod Kritzius in textum recepit, debetur Halmio, quem scripturam codicis ita ingeniosissime sanavisse Kritzius contendit. „Quum praedicatum", inquit, „desit vocis paucissimi, et quidem tale, quod poenae notionem habeat a supplicio diversae, utrumque abunde praestat repositum ab Halmio ejecti, quod compendio ēcti scriptum abiit in et hi." Quin externa quidem verborum auctoritate Kritzii scriptura valde commendetur, dubitari non potest, parique modo de vocis ejicere in exilium mittendi significatione addubitari nequit.[1]) Quod autem ad sensum attinet, tantum abest, ut necesse sit cum paucissimi voce praedicatum conjunctum reperiatur, quod poenae notionem habeat a supplicio diversae, ut mea quidem sententia ejusmodi praedicatum nullo modo ferri queat. Voces enim antecedentes victoria vero fuit clementissima in Kritzii sententiam non quadrant, sed apparet ex iis, scriptorem in insequentibus de iis tantummodo exponere velle, quae statim ex victoria parata sint facta. Haec autem non pertinere potuisse nisi ad quosdam statim necandos, ita in oculos incurrit, ut verbis explanetur non sit necesse. Pari autem modo, atque antecedentia, insequentia verba qui deprecari quidem pro se non sustinerent sententiam meam comprobare existimo. Deprecari enim non ad exilium, sed ad necem deprecandam pertinet. Denique, quae post hanc ipsam periodum affert Vellejus, si respexeris, sine dubio mihi assenties.[2])

[1]) Cf. Nep. Lys. c. I, 5. Cic. p. Rosc. Am. 2.

[2]) „Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus sui, aut in campis Philippiis, si sic licuisset, victoriae suae facturus fuerit modum. At Sosium L. Arrunti, prissa gravitate celeberrimi, fides, mox diu cum clementia luctatus sua Caesar servavit incolumem."

Quum igitur cujus notionis quidem praedicatum adscribendum sit dubitari nequeat, cogitandum est, quae ejusmodi scriptura ex verbis codicis facillima mutatione nascatur. Eorum, qui in hac re mecum consentiunt, Ruhnkenius scribendum censet paucissimis **exceptis**, Burgessius **sed** paucissimi qui; hanc alteram conjecturam haud dignam esse, de qua disseratur, apparet; quod autem ad Ruhnkenii attinet, ei praeferendum puto quod proposuit Ed. Basil. **nisi** paucissimi, et **ii**, quamquam haud necesse esse puto hi in ii mutetur. Nam et hi valde difficulter mutatur in exceptis, quum, si literas ex quibus media et extrema vocis paucissimi, in Ed. Basil. scriptura post nisi sequentis, pars constat, respexeris, mihi sis concessurus, facile fieri potuisse, ut nisi excideret.

Quod ad voces qui deprecari quidem pro se non sustinerent, ut secutus scripturam codicis Kritzius recepit, attinet, mea quoque sententia nulla mutatione est opus.[1]) Ut enim Kritzius rectissime dicit, quidem eam vim habet, ut vocabulum, cui subjungitur, majore vi efferat et insignem in sententia locum ei attribuat, quod hic sine ullo dubio in deprecari cadit.

II, 87, 1:

„At Cleopatra frustratis custodibus illata aspide, in morsu sane ejus expers muliebris metus, spiritum reddidit."

In his verbis recipiendis Kritzius Burerii lectionem secutus est, a qua haud multum discrepat quod exhibet Amerb. **aspidem** morsu sane ejus. Ed. pr. scriptum praestat aspide, morsu sane ejus, in a Rhenano tacite omisso; hoc enim in codice scriptum fuisse apparet ex scriptura Amerbachii aspide**m**, cujus vocis ultima litera sine ullo dubio confusione cum in orta est. In retinendum esse certe omnes

[1]) Heinsius vult: qui **ne** deprecari quidem pro se sustinerent.

concedent; quin enim scriptor docere velit, alteram rem morsui isti tempore fuisse aequalem, dubitari nequit non magis, quam quin (id quod Handius de Particc. Lat. Vol. III. p. 263. §. 23. docet) hac praepositione ad temporis duarum rerum aequalitatem designandam utantur Latini. Sed quam quidem rem isti morsui tempore aequalem fuisse docere voluerit Vellejus, haud ita in plano est, neque equidem, quod ad hanc rem attinet, cum Kritzio consentio, qui sensum hunc esse dicit: „Cleopatra metus expers fuit in ipso morsus momento, vel dum aspis mordet", et de sane particula haec addit: „Particula sane non tam pertinet ad morsu, quam ad universam enunciationem, vel, si mavis, ad praedicatum expers muliebris metus." Ad voces expers muliebris metus ad spiritum reddidit pertinere quomodo dubitari possit, equidem non intellego. Certe enim docere vult scriptor, qua ratione excellentissima illa mulier mortem obierit, et nos certiores vult facere, eam virilem illum animum, quo omni vitae tempore eminuerit, ratione quoque mortem occumbendi praestitisse. Fuit quidem in ipso quoque aspidis morsu Cleopatra muliebris expers metus: sed quum hic morsus, ut ita diacm, partem tantummodo rationis, qua mortem Cleopatra oppetivit, effecerit: modo haud probando scriptor verba ita, ut Kritzius vult, inter se conjunxisset. Deinde, sane vocis naturam sententiamque si respexeris, huic voci prorsus nullum locum hic esse concedes; neque puto, nihil obstare, quominus, ejus verbo interposito, ad expers m. m. pertinere possit, id quod Kritzius se ostendisse dicit Prolegg. c. II. p. LXXIII. sqq.; quod enim Kritzius ibi affert, orationis ad similitudinem consuetudinis familiaris expressae vestigia etiam apparere in verborum collocatione, et quod inter exempla hujus sententiae probandae causa congesta hunc quoque locum posuit: hoc sane nullo modo me adducere potest, ut praeceptum grammaticae tam sibi constans hic a Vellejo neglectum esse persuasum mihi sit.

Conjectura sanie, a Burmanno primo facta, magnoque VV. DD. numero probata, est certissima. Ceterum nulli earum, quae hoc loco factae sunt, conjecturarum assentio; sed tum veram Velleji manum restitutam putabo, si scriptum erit in morsu sanie (ejus) effusa; in hac scriptura, quod ad sensum attinet, probanda certe addubitari non potest; neque difficili mutatione ejus in effusa vertitur, aut (utrum enim faciendum sit evinci posse non videtur) habemus, cur effusa post ejus excidere potuisse non putantes, adscribere dubitemus.[1])

II, 88, 2:

„Tunc urbis custodiis praepositus C. Maecenas, equestri, sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens, simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens, non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus, quippe vixit angusti clavi insigni contentus, nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit."

Quod ad angusti clavi **insigni** verba, ut Kritzius exhibet, attinet, in codice scriptum reperiebatur a. c. **pene**, in quibus verbis pene cum vera Velleji manu non cohaerere apparet. Eorum, qui hunc locum restituendum in integrum tentaverunt, plerisque visum est, in vocabulo pene latere nomen, ex quo genitivi penderent, ut Ruhnkenio, qui ipse quidem conjectura abstinuit. Ceterum Laurentius scripsit purpura, Bothius pede, Silligius praemio, Grunerus nomine,

---

[1]) Conjectura haud difficili sensumque per se magnopere probandum praestanti Bergkius scribi jubet illata aspidis morsu sanie ejus; quod autem hanc scripturam recipi plane vetat, est illata cum sanie conjunctum. Praecedentibus enim verbis frustratis custodibus: illata aspide necesse est retineatur, quippe quibus verbis antecedentia (id quod requiri certe nullum fugiet) explicantur.

Heinsius fine (quod Orellius recepit), etc., quae conjecturae omnes ferri non posse videntur, quippe aut ortae scripturae mutatione nimis difficili, aut sensum non probandum amplectentes. Ex priore ista causa Kritzii quoque conjecturam insigni reprobandam censeo, quamquam auctor codicis scripturam speciem vocis insigni referre putat, **in**(ī) absorpto **i** praecedente, **si** confuso cum **p**, **g** decurtato in **e**, **i** cum **e** confuso.

Ceterum Lipsius alia ratione usus scribendum censuit angusto clavo **bene**, vel **plane**, quo eum veram Velleji manum restituisse quidem haud existimo: sed rectam viam ingressus mihi videtur mutando angusti clavi in angusto clavo (quae mutatio facillima est; nam **i** sexcenties confusum invenitur cum **o** in Velleji codice, ut ex Kritzii Prolegg. c. III. p. LXXXIX, ubi magnus hujusmodi exemplorum numerus est congestus, apparet): et censendo, pene natum esse ex falsa scriptura adverbii cujusdam, ad contentus pertinentis. At non bene, vel plane sic corruptum esse equidem existimo, sed perennne. Ita scribentem me conjectura nullo modo difficili uti certe concedes, si qua ratione librarios compendio scribere solitos esse cogitaveris; quod autem ad sensum, qui ita efficitur, attinet, summopere probandum esse jure contendere mihi videor, quum Maecenas certe eo quidem summa admiratione sit dignus, quod per totam vitam nullum honorem affectavit.

Deinde, quod ad verba nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit, ut secundum codicis scripturam Kritzius in textu expressit, attinet, nonnullis codex haud veram Velleji manum praestare visus est, et conjectura ad hunc locum sanandum facienda. Hanc sententiam justam esse vel ex eo apparet, quod Kritzius ad codicis verba explicanda affert, quod, quantum attinet ad nec minora consequi potuit quidem, codicis scripturam retinenti plane comprobetur necesse est. Dicit enim nec minora intellegendum esse per et aeque magna, sc. quam Agrippa; nam utram-

que sententiam spectare ad comparationem Maecenatis cum Agrippa, ita ut supplendum sit quam ille. At mihi quidem persuasum est, verba, in quibus dijudicandis versamur, prorsus esse aliena a Maecenate cum Agrippa comparando. Si enim scriptor hoc vellet, neque Maecenatem laude tam magna ferret, quam fit consequendi cum concupiscendo comparatione, et Agrippa quodammodo in vituperationem caderet. Certe igitur ad non tam concupivit haud supplendum est quam Agrippa, sed quam consequi potuit, ita ut Vellejus Maecenatem laude ferat propter abstinentiam, honorum consequendorum tanta facultate. Quum autem res ita se habeat, nec minora consequi potuit verba retineri nequeunt. At forsitan quispiam dixerit: ad nec minora consequi potuit quidem supplenda esse verba quam Agrippa, sed ad non tam concupivit quantum spectet, cogitandum esse quam consequi potuit. Ad quod respondendum videtur: ita quoque scriptor Maecenatem mire Agrippae conferret, deinde autem, exstante duplici comparandi genere, necesse esset ad unam vel alteram hujus periodi partem adscriptum reperiatur, cuinam conferri vellet scriptor, quod in ea profert de Maecenate: utrum Agrippae, an iis, quae reliquis verbis enunciat. Nam alias ad perspicuitatem haud accommodate loqueretur.

Ut autem quae scriptura mihi cum vera Velleji manu cohaerere videatur dicam, probandam censeo eam conjecturam, quam Schefferus proposuit in Misc. Obss. Vol. IX. p. 172, in qua pro minora, facillima, ut certe omnes concedent, mutatione scriptum reperitur munera, ante consequi autem haud textui insertum est. Quamquam sine dubio pro haud scribendum est non: quomodo enim haud excidere potuerit non intellegitur, quum si librarios compendio scribere solitos et insequi **con**(sequi) cogitaveris, non sit futurum, ut non facile excidere potuisse te fugiat.

Ceterum, ut doceam, sensus, quem haec conjectura amplectitur, quam sit probabilis, *munera* respondet antecedenti *honoratus*, significanti idem quod *publicis muneribus perfungens*, ut Vell. II, 54, 3: „Qui vir (i. e. M. Cato) cum summnm ei a militibus deferretur imperium, *honoratiori* parere maluit.“